



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacerdos Aut Sanctus Aut Reprobus

Dufrène, Maximilian

Augustæ Vindelicorum, 1743

Dissertatio Præliminaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60483](#)



Sacerdos aut sanctus, aut reprobus.

TRIDUUM SACERDOTALE DIES PRIMA.

Dissertatio præliminaris.

In illa verba *1. Cor. 16. v. 22.* si quis non amat Dominum nostrum JESUM Christum, sit Anathema.

Eris bellorum fluctibus, & infaustis quassationibus quam misere pulsetur hodiernus orbis, notius vobis est, Domini mei, quam ut opus habeam eundo per singula demonstrare. Ad malorum causam investigandam potius convertamur, ut presso tantis calamitatibus mundo pro Sacerdotalis officii munere succurramus. Quænam igitur præsentium malorum infausta radix & origo pestilens dī-

A

cenda

cenda nobis erit? Peccatorum fœdissima monstra vos quidem arguetis, in quæ Sacerdotali zelo quam sœpissimè detonatis. Utique scelerum abominandæ fœditates, quæ mundum hodie turpiter inficiunt, malorum omnium causa recto judicio dicuntur. Sed nondum hic sistendum nobis est: ulterius inquirendum, undenam hæc ipsa scelerum sentina profluat: unde sit hæc sordium horrenda colluvies, qua mundus non inquinatur modo, sed & totus mergitur. Missis ambagibus, quod res est, verbo dicamus: sola JESU Christi DEI ac Domini nostri turpis ignorantia & causa omnium peccatorum, & malorum inde manantium infausta origo est: (a) *Mundus eum non cognovit!* En pestiferam radicem! en fontem venenatum! en totius miseriæ fundum fœculentum! *Mundus eum non cognovit.* Sed quid hinc consequitur? Istud malorum triste compendium sequitur (b) *Et sui eum non receperunt.* Ignoti enim nulla cupido: hæc autem infortuniorum summa est, Christum non recepisse. Sic namque deficit filiorum DEI beatissima progenies: deficit sanctus: deficit generatio rectorum, qua deficiente omnis quoque benedictio deficit; namque sola (c) *Generatio rectorum benedicetur.* Qui nam verò sancti illi, & filii DEI fortunatissimi, qui felicitatem Orbi universo aspirant? Non alii profectò, nisi qui agnitus

Domi-

(a) *Ioan. I.* (b) *Ibid.* (c) *Pſ. III.*

Dominum nostrum JEsum Christum receperunt. Nam (a) quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios DEI fieri his, qui credunt in nomine ejus. Sed eheu! defecit sanctus, quia mundus eum non cognovit: amaret, si nosceret: reciperet si amaret: in sanctorum, & filiorum DEI sortem veniret, si reciperet. Non recipit Dominum gloriae infelix mundus, quia non amat: non amat, quia non agnoscit: & quia nec recipit, nec amat, nec agnoscit, sedet in tenebris & in umbra mortis sine luce, errat sine duce, labitur sine fulcro, solvitur sine vinculo, in sordibus suis computrescit absque remedio. Verum sinamus nos malè feriatum mundum sordescere, quantum volet: istud nunc sollicitè agamus, ut crassam illam, stupidam, & infelicem JEsu Christi DEI ac Domini nostri ignorantiam, malorum omnium fontem, quam longissimè à nobis arceamus. Adeò primum est, Domini mei, hujus ignorantiae infelicitatis dira caligine implicari, ut & ipsos JEsu Christi Discipulos, utut cum Magistro suo divinissimo familiariter conversantes apprehenderit. (b) Tanto tempore vobiscum sum, questus est de ipsis aliquando Servator, & non cognovistis me! Utinam in nos Sacerdotes non recidat similis querela! utinam nobis non objiciatur, quod Judæis Domini prodicia quotidie cernentibus, & beneficia expertis objectum est: (c) Medius

A 2

re-

(a) Joan. I. (b) Joan. 14. 9. (c) Joan. I. 26.

*vestrum stetit , quem ignoratis ! Væ ! iterum
væ nobis , si cum cœco mundo & perfida
Judæorum gente JEsum Christum ignora-
mus : beatissimos nos ! si cum Sanctis omni-
bus Christum didicerimus. Rem magnam
dico, sed verissimam dico : sancti sumus , si JE-
sum Christum didicimus ; reprobi , si eundem
ignoramus. Ut verò amplius & amplius rem
tantam discamus , huic sacratissimæ Sanctorū
scientiæ triduum consecramus. Alme Spi-
ritus ! per te sciamus , da Patrem , nosca-
mus atque filium : te utriusque Spiritum , qui
cum Patre JEsum clarificas , credamus om-
ni tempore.*

*Hæc est vita æterna (a) effatum est sapientiæ
increatæ longè certissimum : seu quod idem
est , hæc vita sancta , vita beata , ut cognos-
cant te DEum verum , & quem misisti JEsum
Christum. (b) Nōssete , ait Regum sapientissimus
de eâdem incarnata Sapientia , consummata iu-
stitia est , & plena genuinæ sanctitatis men-
sura. Verum non sufficit nobis , Domini
mei ; profectò non sufficit qualiscunque
tantum , perfuntoria , iners ac sterilis JE-
su Christi notitia : intima sit oportet , ac
tuola & fœcunda , ut germanos veræ sancti-
tatis fructus progerminet. Eja dilectissimi ,
mentis oculos in Auctorem fidei & Consum-
matorem JEsum defigamus : qualis & quan-
ta sit sacratissima illius persona , considere-
mus. (c) venient nobis omnia bona pariter
cum*

(a) Joan. 17. 3. (b) Sap. 15. 3. (c) Sap. 7.

Sacerdos aut sanctus, aut reprobus. 5
cum illa, & innumerabilis honestas per manus
illius.

PARS I.

*JEsus Christus ab æterno ē in
Lege veteri consideratus.*

JEsus Christum DEum ac Dominum nostrum primò quidem in illa æternitatis abyssō, ante omnia sæcula genitum non nihil contemplemur. Qualis & quantus hic est! DEus de DEO, lumen de lumine, DEus verus de DEO vero: omnipotens, omniscius, independens, immutabilis, incomprehensibilis DEUS: in splendoribus Sanctorum: ante Luciferum, ante omnem creaturam genitus, consubstantialis Patri, & per omnia æqualis, per quem omnia facta sunt. (a) Quām grandis hic sermo & ininterpretabilis ad dicendum! quoniam imbecilles facti sumus ad audiendum & capiendum tantum Mysterium. Hanc divinam caliginem ingredi non est animus; sed profundissimè tantum adoramus ex Patre natum ante omnia sæcula.

At non solum DEus, sed & homo est DEI filius: DEus ex substantia Patris à sæculo genitus; homo ex substantia Matris in sæculo natus: verus DEus, verus homo, unus Dominus & Salvator noster JEsus

A 3

Chri-

(a) *Hebr. 5. II.*

Christus. Hic ille desideratissimus Messias & Redemptor est, quem ab æterno prædestinatum, & à mundi exordio promissum, annis quater mille præsignârunt figuræ omnes, suspirârunt Patriarchæ, vaticinati sunt Prophetæ, Sancti omnes in lege veteri avidissimè expectârunt. Quanta, quámque magnifica hic seu meditandi, seu loquendi materia! divinus hic Mediator & generis humani Restitutor in figuris tanto tempore gloriose præsignatur, cum Isaac immolatur, Agnus paschæ deputatur, datur Manna Patribus: illum loquntur omnia legis antiquæ sacrificia & omnes ceremoniæ, non splendore minùs quam numero commendandæ: Arca Noëmi, ros in vellus descendens, columna Israëlis dux, petra fontem aquæ largiter fundens, tabernaculum pretiosè constructum, Arca fœderis, templum Salomonis, alia sexcenta singularia prorsus & admiranda hunc Dominum prænotabant. Quis verò magnum, quin & maximum non dicat, quod tanto tempore, tam variè, tot signis magnificè adeò est prænuntiatum? Omnia igitur JESUM Christum in carne venturum sonabant, monstrabant, prædicabant. Huc animos, huc oculos vertebant Sancti omnes, & credentium populus universus: hunc volebant Patriarcharum incensa suspiria: (a) *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum!* (b) *Utinam dissumperes cælos, & descen-*

(a) *Isai. 45.* (b) *Ibid. 64.*

descenderes ? (a) Mitte , quem missurus es ?
 (b) Ostende nobis Domine misericordiam tuam &
 salutare tuum da nobis. &c. Hunc vaticinati
 sunt Prophetæ ad unum omnes : Ecce ! virgo
 concipiet & pariet filium : germinabit radix jesse,
 orietur stella ex Jacob : veniens veniet , & non tar-
 dabit : in diebus illis salvabitur Juda , & Israël ha-
 bitabit confidenter : ecce veniet desideratus cunctis
 gentibus &c. Hunc Salvatorem Adamo statim
 à lapsu promisit benignissimus DEus : eun-
 dem Abrahæ, Isaaco , Jacobo , cæterisque
 Patrum pollicitus est , ac tandem post tot
 sæcula diutissimè expectatum , ardentissimè
 desideratum Redemptorem mundo in malis
 suis tabescenti dedit. In illis autem figuris,
 & inter umbras legis antiquæ jam erat , (c)
Omnia & in omnibus Christus. Nemo illis qua-
 ter mille annis fiebat salvus , nisi per fidem
 in Christum venturum : jam tunc gratiæ
 omnes propter Christi merita in genus hu-
 manum profluebant , ut adeò verissimum
 omni tempore fuerit , quod de Salvatore
 jam nato & passo scribit Apostolus : (d) **Om-
 nia in ipso consistunt**, præterita , præsentia &
 futura ; tempora non minùs fluxa , quam
 sæcula sempiterna. Quid igitur mirum , si
 nullus apex in lege veteri , qui Christum
 non loquatur : nulla figura , quæ ipsum
 non repræsentet : prophetia nulla , quæ
 ipsum non denotet ? (e) Nam propter

A 4

hunc

(a) Exod. 4. (b) Psal. 84. (c) Coloss. 3. II.
 (d) Coloss. I. (e) l. 3. de Glor. Trin.

hunc hominem gloria & honore coronandum, ait Rupertus, DEus omnia creavit. Illum itaque merito cuncta sonabant, respiciebant universi. Magnum sanè principium, ex quo omnia! mirabile extremum, ad quod omnia! amabile centrum, in quo omnia! magnus omnium Dominus, (a) propter quem omnia, & per quem omnia. Verè vocabitur nomen ejus admirabilis.

PARS II.

Sanctæ Ecclesiæ altissima de JESU Christo sensa expenduntur.

SAnctam Ecclesiam nunc quoque audiamus: ducet nos illa in agnitionem Sponsi sui, DEI ac Domini nostri JESU Christi, non minus quam Testamenti veteris sacro-sanctæ Paganæ. Colligamus primò quidem augusta nomina, quibus eum facro Adventūs tempore gloriose compellat. (b) „O Sapientia, inquit, quæ ex ore altissimi prodiisti! O Adonai & Dux Domus Israël! „O radix Jesse! O clavis David, & Scutum domus Israël, qui aperis & nemo claudit: claudis & nemo aperit! O oriens splendor lucis æternæ & sol Justitiæ? O Rex gentium & desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum! „O Emmanuël Rex & Legifer noster, expecta-

(a) *Hebr. 2. 10.* (b) *Antiph. majores.*

„ peccatio gentium & Salvator earum, ex-
„ cita potentiam tuam & veni !

Quantis verò lætitiis affluens incedit, cùm
Domini ac Sponsi sui natalem celebrat ! cœ-
lum terrámque ad gaudia tunc invitat : (a)
*Lætentur cœli & exultet terra ante faciem Domi-
ni, quoniam venit - - (b) Cantate Domino can-
ticum novum, quia mirabilia fecit - - (c) No-
rum fecit Dominus salutare suum - - Viderunt
omnes fines terræ salutare Dei nostri - - Jubi-
late Deo omnis terra, cantate, & exultate, &
psallite - - Flumina plaudent manu, simul montes
exultabunt à conspectu Domini, quoniam venit.
Hunc suum Dominum quām humillimè ado-
rari mandat : (d) *Omnis terra adoret te, &
psallat tibi!* Quin & omnes Angelorum Cho-
ros ad idem faciendum invitat: (e) *Et ado-
rent eum omnes Angeli ejus!**

Sed quid aliud tu nobis de Dilecto tuo,
sacratiſſima Sponsa ? edic nobis, qualis est
Dilectus tuus ? quomodo salutas de regalibus
Divinitatis luæ ſedibus in humana carne ad
te venientem ? (f) „ Magnum Principium,
„ ait illa, Dilectus meus, & regni ejus
„ non erit finis : DEus est, fortis, Domi-
„ nator, Princeps pacis, & Princeps regum
„ terræ. Rex pacificus, admirabunda ex-
„ clamat, magnificatus est super omnes re-
„ ges terræ ! Rex regum, & Dominus do-
„ minantium : Rex, cui nomen æternum :

A 5 „ Rex

(a) *Pſal. 95.* (b) *Pſ. 97.* (c) *ibid.* (d) *Pſal.*
65. (e) *Pſ. 96.* (f) *Missæ Natalitiae &c.*

„ Rex gloriæ: vocabitur nomen ejus admirabilis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, cuius regni non erit finis. Puer natus est nobis, læta & laudans ulterius canit illa, & filius datus est nobis, cuius imperium super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus -- (a) Ecce advenit Dominator Dominus, & regnum in manu ejus, & potestas, & imperium: Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei, cuius imperii nomen est in æternum: (b) In ipso salus, vita & resurrectio nostra, per quem salvati & liberati sumus.

(c) „ Illustræ quiddam cernimus, plena reverentia iterum ingeminat Christi Sponsa sanctissima, dum illius Majestatem contemplandam exhibit: Illustræ quiddam cernimus, quod nesciat finem pati, sublime, celum, interminum, antiquius cœlo & chao: Hic ille Rex est gentium &c. Christus JESUS splendor Patris, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbô virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens &c. Infinita esse cuperet in laudibus Domini sui promendis Mater nostra. Quid igitur non tentat? Titulos, quotquot potest, minimè quidem inanes, sed omnino reales conglomerat? (d) divinum Sponsum solem

(a) *In Festo Epiphan.* (b) *In Festo Invent. S. Crucis.* (c) *In Festo Transfigur.* (d) *Litanie SS. Nom. JESU.*

solem justitiae, auctorem vitae, thesaurum
Fidelium, Virginis filium, bonitatem infi-
nitam, praeter ea, quae jam adduximus, magni-
ficè compellat : „ JEsu gaudium Angelo-
rum, pergit illa contexere magnorū nomi-
nū seriem: JEsu Rex Patriarcharū, inspirator
Prophetarum Magister Apostolorū, forti-
tudo Martyrum, lumen Confessorū, puritas
Virginum, corona Sanctorum omnium !
Quid amabò gloriōsius, aut sublimius di-
ci, vel cogitari possit ! Fatetur nihilominus
Mater Ecclesia, minimè ista sufficere; nam
cùm filiorum quemque ad laudes Sponso di-
cendas animat, nunquam satis laudari eum
posse affirmat : (a) „ Lauda Sion Salvato-
rem, lauda Ducem & Pastorem in hym-
nis & canticis. Quantum potes, tan-
tum aude, quia major omni laude, nec
laudare sufficis. Ipsi nunc edicite, Do-
mini mei, an sanctæ Ecclesiæ erga JEsum
Christum reverentia, æstimatio, fiducia &
amor progredi ulteriùs adhuc possit ? Sanè
ulteriùs progreditur, quia mensuram non
habet cognitio immensa bonitatis & maje-
statis.

Audiamus igitur, quid illa de Sponso suo fen-
tiat sive in precibus, sive in augustissimo sacri-
ficio. Ita profectò sentit, ut non posset subli-
miùs. Ad omnium Ecclesiæ precum solemnem
clausulam convertamus obtutum : *Per Do-
minum nostrum JEsum Christum filium tuum &c.*

Sic

(a) *Sequentia in Feste SS. Corp. Christi.*

Sic preces suas omnes claudit : Hoc quasi curru triumphali petitiones suas in cœlum subvehit Mater nostra; quam quidem sacro-sanctam clausulam vel in uno sacrificio quin-decies minimum repetit. Sive ergo aliquid à divina majestate postulet, semper hoc facit per JESUM Christum : sive gratias agat, agit illas per JESUM Christum : sive laudes ei dicat, dicit per JESUM Christum : seu offerat munus quodcumque, offert per JESUM Christum. Actiones suas omnes peculia-riter incipit à JESU Christo , & terminat in JESU Christo. Sed quæ tandem causa respectūs continui ad JESUM Christum, quem fixis oculis perpetuo intuetur sancta Eccle-sia ? In Missæ Canone rationem ipsa nobis innuit docente eam Spiritu sancto. Ideò , inquit , omnia per JESUM Christum acta cupio, quia *per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* Quid verò hinc sequitur ? Istud per legem contrariorum manifestè concluditur : Ergo nisi per ipsum, nisi *cum ipso*, nisi in ipso nullus Omnipotenti honor, nulla gloria: nulla hominibus salus, nulla electis felicitas , nullus Eccle-siae Splendor, nulla sanctitas. Omnia per ipsum , & cum ipso: nihil sine ipso. Tu enim solus sanctus , tu solus Dominus , tu solus altissimus JESU Christe ! tibi datum est *nomen, quod est super omne nomen, in quo omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum:*

San-

Sanctum & admirabile nomen, in quo omnia, quæcunque facimus in verbo, & in opere, facere nos Apostolus jubet: (a) *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri JEsu Christi facite, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.*

Ita sanè est, tantus apud Matrem nostram ardet in Christum amor, tanta reverentia, fiducia tanta, ut major cogitari nequeat. Circa illum constanter occupatur: illum perpetuò laudat in horis Canonicas: illum mediatorem adhibet: illum adorat, & ubique prædicat: sed & gratiarum fontes nunquam exauriendos in illo reperit. Nam quæ & qualia sunt Sacra menta tua, ô Mater! nónne in sanguine Agni hujus immaculati consecrata, hinc vim suam omnem traxere? Quænam, & qualis potissima solicitude tua? Nónne ut Christus formetur in filiis tuis? (b) *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis!* Hanc sacratissimam JEsu Christi imaginem nónne formas in filiis tuis per baptismum, roboras per confirmationem, nutris per Eucharistiam, refor mas per pœnitentiam, absolvis per extre mam unctionem? Quid verò prædicare, quid loqui jubes Ministros tuos? Nónne JEsu Christum, & hunc crucifixum? illius verba & facta, te jubente perpetuò inculcant, quoniam ipse via est, veritas & vita.


Illius tu sacrosancta Mysteria vitæ ac mortis

(a) Col. 3. 17. (b) Gal. 4. 19.

tis assiduò commemoras , solemniter per anni decursum celebras , & oculis quoque Fidelium solicita repræsentas. De sacrificio tuo quid memorem, unico quidem illo, sed præstantissimo, quod figurarum veterum impletivum , legalium differentias hostiarum sua perfectione universas complectitur? Sacrificium hoc maximum, quod in omni loco , & omni tempore constanter immolas , nónne JESus Christus est, idem & Sacerdos, & victima , Pontifex in æternum secundùm ordinem Melchisedech? huic Domino aras & templa absque numero pia Mater consecrat : hunc ubique signat, hunc venturum denique cum gloria Judicem exspectat, hujus memoriam in filiorum cordibus perpetuam vigere cupit. Hinc tot ubique sanctæ crucis simulacra erigit , ut Salvatorem suorum mentibus altè inserat : cruce in templis , in aris , in templorum ac turrium fastigiis , in foro , in compitis , in agris , in viis publicis , in Fidelium cubiculis spectandas exhibet, ut nunquam recedat ab ore , nunquam recedat à corde JESus Christus , *per quem omnia , & propter quem omnia.* Idem Matris nostræ scopus est, cùm triplici quotidie signo grande incarnationis Mysterium non tam auribus , quàm animis ingerit: Et quò tandem illa dicendæ salutis formula collineat, cui , ut in ore Fidelium esset quàm frequentissima , gratias spirituales annexas voluit sancta Sedes , nisi ut amantissi-

tissimi Servatoris memoria intercidere nunquam possit, dum constanter & ubique repetitur : *Laudetur Iesus Christus in aeternum.*

Hunc porro lapidem angularem, Dominum nostrum Iesum Christum : Hoc fundatum si tollas, cui tota innititur Ecclesiae structura, corruet simul aedificium universum : Christum tolle, & nulla erunt amplius Sacra menta, nullus Sacerdos, nullum sacrificium, victima nulla, Mediator nullus. Gratiæ omnes, omne meritum, salutis spes tota, libri sancti, verbum DEI: quidquid habet boni cœlum & terra, omne animarum pretium, sanctitas omnis quantocytus evanescet, nihilque remanebit amplius, præter humani generis maslam damnatam, suisque etiam inquilinis ipsum quoque cœlum viduabitur. Solem hinc aufer, & omnem vitam, decus omne ac gaudium simul abstuleris. Iesum Christum tolle, & luctuosa erit ubique mortis facies : omnis cœli terræque pulchritudo devorabitur. Hæc uti verissima, ita & piissima sunt Ecclesiæ de Christo sensa : ista suorum præfertim Ministrorum cordibus altè insculpta hærere votis omnibus desiderat.



PARS III.

Sanctorum omnium de JEsu Christo altissima sensa per vestigantur.

UT crescamus magis in cognitione, gratia & amore Domini nostri JEsu Christi, quod monet ferventissimus inter discipulos Petrus, considerare ulterius juvat, quid Sancti omnes omnium temporum de Elio Dei, Redemptore nostro senserint. Quem nisi JEsum Christum in toto terrarum orbe prædicârunt beati Apostoli? in hujus nominis gloria confessione vitam & sanguinem dederunt tot millions, tot Myriades Martyrum. Hunc Dominum admirati sunt omnes sancti Pontifices & Ecclesiæ Doctores, cuius gloriam, vitam, doctrinam, virtutes, Mysteria, divinas humanasque perfectiones innumeris ferè commentariis celebrârunt. Tot eorum libri, tractatus, homiliæ, expositiones in Evangelia: tot Sermones & scripta, quæ vel sola bibliothecas impleant, quid aliud loquuntur, nisi Dominum nostrum JEsum Christum? solus Augustinus, magnum Ecclesiæ lumen, voluminum & librorum ad triginta millia scripsisse perhibetur, quibus incarnati verbi Mysteria declaravit. Objectum admirable, circa quod tanta ingenia, tantò nume-

rō

rō desudārunt, quin tamen exaurire illud unquam potuerint! sed quid mirum, postquam dilectus Christi discipulus hanc Evangelio à se scripto coronidem subjunxit: (a) Sunt autem & alia multa, quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Hunc porrò admirabilem Dominum & præ universis amabilem, fixis oculis stupentes perpetuò contemplati, & contemplando nunquam satiati sunt omnes sancti Sacerdotes & Levitæ, omnes sancti Monachi & Eremitæ, omnes sancti Confessores. In hunc dilectum præ millibus electum, candidum splendore divinitatis, rubicundum pretiosa passione humanitatis, purissimè exarserunt omnes sanctæ Virgines: omnes Sancti & Sanctæ Dei. Omnes sequntur Agnum, quo cunque iérit: omnes unanimi voce protestantur, & clamant: (b) *De plenitudine ejus omnes accepimus!* (c) *Ille factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Illi coronas suas substernunt universi, & in acceptis referunt. Ita sentiunt, quotquot vivunt in Ecclesia sancti: Ita sentient, quotquot sunt futuri usque ad finem temporum, omnésque uno ore, una voce misericordias & magnitudinem Salvatoris in æternum cantabunt.

Sed quid potissimum vident in JESU Chri-

B

sto

(a) *Ioan. 21.* (b) *I. Joan. 16.* (c) *I. Cor. I. v. 30.*

sto perspicaces aquilæ? admirantur imprimis & stupent cum magno gentium Apostolo *Mysterium à sacerulis absconditum*, Verbum Incarnatum. Admirabundi contemplantur & suspiciunt cum Augustino altitudinem consilii super genus humanum, & illo recognoscendo satiari nequeunt. Stupentes mirantur, cum novem mensibus clausum in utero Virginis DEum & hominem, utraque natura in unam personam coalescente, meditantur. Admirabile hoc commercium unionem hanc ineffabilem, misericordia & majestate plenam, attoniti venerantur. Extra se quodammodo positi considerant actiones illas Theandricas, seu divino-humanas, etiam minimas, qualis est simplex motus digiti, quibus singulis valor ac premium inerat simpliciter infinitum. Adorant mirantur & amant jacentem in præsepio, simûlque fulgentem in cœlo: non minus à regali Magorum triade, quam à paupere pastorum turba humillimè adoratum ab Angelis in terra, in cœlo à sideribus magnificè promulgatum. Stupent Sancti latenter & clausam in membris infantilibus totius divinitatis potentiam & magnitudinem: Combinationem hanc intellectui etiam Angelico imperviam utū non capiant, tamen ab ejus pia consideratione & amore nunquam cessant. Sacra igitur admirazione suspensi, contemplantur ulterius in domo Nazarena ad annum ætatis trigesimum

mum solitariè agentem DEI filium, & fabrilia tractantem Omnipotentis manum.

Sed quid vident in JESU ambulante, prædicante, inter homines conversante? Attonti considerant Regis æterni modestiam, supremæ majestatis amabilissimam benignitatem, mitissimam cum servis suis agendi ratione, in perferendis ignomiñis, turpique ingratitudine toleranda patientiam insuperabilem, in peccatis remittendis miram facilitatem. Talem vidit in contemplatione sua mellifluus Bernardus: (a) „Cùm nomino „JESUM, inquit, hominem mihi propono „mitem & humilem corde, benignum, soberum, castum, misericordem, & omnidenique honestate ac sanctitate conspicuum; eundémque ipsum Deum omnipotentem, qui suo me & exemplo sanet, ac roboret adjutorio. (b) Auscultant & recolunt sanctæ animæ, quid locutus Mariæ Magdalenæ, quid Samaritanæ, quid Chananaæ, Zachæo, Petro, Centurioni: ad tot pietatis sermones & clementiæ, cuius non mollescat affectus, viscera liquescant? Nimirum ubique pertransibat beneficiendo amantissimus Dominus: ita pertranseuntem, ita benefacientem, dæmones pellentem, corpora sanantem, animas piè quærentem dum sancti considerant, facros ignes concipiunt, tantæque bonitatis

B 2

amo-

(a) Serm. 15. in Cant. (b) Gilbert Abb.
Serm. 44.

amore vix non immenso accenduntur. Quid verò cogitant, quid sentiunt, cùm vultum illum amoenissimum considerant, in quem desiderant Angeli prospicere? cuius mira suavitate in desertum usque pertrahebantur ingentes hominum turmæ, cibi & potūs oblitæ: cuius verba dulciora super mel & favum avidissimè excipiebant. Quo sensu intuentur facilitatem, qua vel hostes admittebat! sed quo sensu mentis oculos defigunt in animam illam omni gratiâ & sanctitate ornatam? In crucem, passionem & mortem optimi redemptoris? ista cogitando deficiunt: tantam majestatem conjunctam cum tanta bonitate dum attentè inspiciunt, suspensi animis hærent, & hæc prodigia inter ebullientes divinæ charitatis æstus admirantur.

Hunc itaque Dominum in cœlo & in terra, quidquid factum est, adorat, reveretur & amat: Sancti omnes hunc Regem, hunc Patrem, hunc benignissimum Salvatorem certatim ambiant, stipant, honorant, eique indefessè famulantur: illum per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia: Angeli omnes faciunt verbum ejus, & Regis sui ministerio læti occupantur. Quid verò Sacerdotes: num foli apud ignem tantum frigescunt? soline tanto in lumine cæcutient? Memineris, Sacerdos Altissimi, quanta hic Dominus fecerit animæ tuæ? Nunquid non ipse creavit te, & redemit te,

te, & portavit te, & vocavit in admirabile lumen suum? Nónne ipse dissimulavit peccata tua, quæ toties benignè donavit? nónne ipse arcana sua tibi credidit, te Ministrum suum elegit, dispensatorem mysteriorum suorum te constituit, thesauros suos in manu tua posuit, sui sanguinis pretium charas animas tibi commisit, quando ad regalis Sacerdotii fastigium te evexit? Quomodo honorare te, aut amare amplius potuit? corpus & sanguinem ejus quotidie conficis: ejus majestatem quotidie alloqueris: mandata illius excipis, ut fideli populo annunties: circa ipsum (quid augustius dici possit?) constanter occuparis. Tu verò divina illi obsequia neglectim, & luridè impendas? tu adeò pretiosè amantem non redames? tu benignè vocantem spernas? amicè invitantem repellas? Audi, Sacerdos, verbum gravissimum, è quo salus tua pendet: erige animum, sensus collige, totam huc mentem adverte. Aut sanctus eris, aut reprobus sine medio. Imò sanctus jam es, si verè amas hunc Dominum, de quo multa quidem pro humanæ infirmitatis modulo, paucissima tamen pro illius infinita dignitate ac merito hucusque disseruimus: contrà verò reprobus es, si non amas. Æqua sententia, quam pridem gentium Apostolus, dictante Spiritu sancto pronuntiavit. (a) *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum*

B 3

stum

(a) *I. Cor. 16. 22.*

(a)

stum, sit Anathema. Reprobetur, exterminetur, qui talis est; nam iniquissimus, ingratissimus, impiissimus est, quisquis non amat Dominum nostrum JESUM Christum super omnia amabilem, divina magnitudine admirabilem.

Ad insigne solatium vestrum dico, Sacerdotes electi! sancti estis, quicunque amatis Dominum nostrum JESUM Christum, quando reprobis est, qui non amat; contrariorum enim lex est eadem. Sed firmemus incarnatae Sapientiae oraculo grandem hanc veritatem. (a) *Si quis diligit me, ait Servator, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Conficiamus hinc istud soliditatis invictæ argumentum. Diligitur, qui diligit: ergo sanctus est! diligitur ab Increata Sanctitate, quæ diligere non potest, nisi quod sanctum revera sit. Quare sanctus est, qui diligit, quoniam diligitur ab ipsamet summa Sanctitate. Adjungit Magister divinus, ut veritatem inconcusse stabiliat: *Et manifestabo ei meipsum.* Non nisi amicis & dilectis manifestare se potest DEI filius: si autem amici & dilecti sunt, vel ideo sancti erunt, qui diligunt Dominum nostrum JESUM Christum. Aliam sanctitatem à Christiano Sacerdote nemo requirat: hæc ipsi sola competit. Non in vitæ austeritate, non in multis jejuniis, non in rerum penuria, neque in extasum aut prodigiorum singulari-

(a) *Ioan. 14.*

gularitate nostra consistit sanctitas. Sacerdos, qui Dominum nostrum JEsum Christum sincerè diligit, ejusque gloriam sollicitè quærit: Sacerdos, qui huic Domino suo adhæret, aliudque non respicit, præter illius emolumenta: cujus intentiones & animi motus plerique omnes in eundem feruntur, hic sanctus est. Sacerdotali hac sanctitate præfulserunt hucusque semper Ordinis vestri clarissima lumina. Inter alios S. Martinus Episcopus, (a) qui totis visceribus diligebat Christum regem: S. Carolus Borromæus, S. Franciscus Salesius, Sacerdotes sancti omnes (b) amaverunt Christum in vita sua. Hæc & non alia statûs Petrini eximia & pretiosa sanctitas est, ut Sacerdos cum B. Petro Apostolo, Capite suo, non semel sed iterum iterumque, corde, verbo & opere indesinenter dicat: (c) Domine tu scis, quia amo te! „ O mentem ab omnibus prædicandam, au- „ rea verba sunt S. Audoëni in vita S. Eligii, „ cui non est aliud vivere, nisi Christum cum „ dilectione timere, & cum timore dilige- „ re! Ipsi nunc judicate, Domini mei, utrum ad sanctitatem præcelsi statûs vestri petatur nimium, quando amœnissima dilectio personæ maximæ, noblissimæ ac suavissimæ postulatur. O Dominum bonum, qui ad omnigenæ felicitatis cumulum, & sanctitatis nostræ consummandam gloriam plus non exigit, quam ut sincerè amemus personam

B 4

sa-

(a) Ecclesia. (b) Eccles. (c) Joan. 15.

sacratissimam , cui ex mille titulis obstringimur: Personam benignissimam , omni dignam honore, obsequio & amore, circa quam pro sanctae vocationis munere alias ferè perpetuò occupamur , videlicet Dominum nostrum JEsum Christum, quem, qui verè diligit, sanctus: qui non diligit, reprobus est; nam *qui non diligit , manet in morte.*

Hic ingressus ad triduum nostrum : hoc fundamentum , cui cæteram ædificii molem securè imponimus : grandis hæc materia est, quæ per totum hujus vitæ curriculum meditando nos occupet. Priusquam autem ad ulteriora promoteamus gradum , non nullas veritates stabilimus , quæ vel ex hucusque dictis , fluunt , vel in sequentibus solidè firmabuntur.

Veritas 1. Genuina sanctitas consistit in charitate , quæ est in Christo JEsu Domino nostro, ut gentium Doctor loquitur.

Veritas 2. Triplicem statuimus sanctitatem, inchoatam , continuatam , & consummatam.

Veritas 3. Ut verè sanctus sit Sacerdos, sufficere illi non potest sanctitas inchoata , nisi hæc firmitatis aliquid obtinuerit , & in continuatam transferit. Quare ipsum sanctitatis qualemque initium genuina sanctitas non est , prout hic illa à nobis accipitur.

Veritas 4. Sed neque sanctitas consummata requiritur à Sacerdote ; verùm sufficit con-

continuata, si accesserit serium progrediendi studium.

Veritas 5. Sacerdos fervens juxta principia nostra sanctus est: requirimus tamen fervorem genuinum, non in horas mutabilem; qui sit secundum spiritum, & nonnullam anni unius vel alterius firmitatem obtinuerit.

Veritas 6. Sacerdos per statum & habitu-liter tepidus juxta eadem principia nostra reprobus est, quia charitatem non habet, qua deficiente in multis graviter delinquet.

Veritas 7. Inter Sacerdotem sanctum & reprobum, ferventem ac tepidum in dicto sensu non datur medium; nam Sacerdos, si bonus est, ac fervens, non poterit esse nisi valde bonus: si tepidus est, non poterit esse nisi valde malus, & consequenter reprobus. Ea nimurum est statu sacerdotalis eminentissima sublimitas, obligationes illius tantæ, occasiones seu egregie fructificandi seu nocendi numerosæ adeò & magnæ, ut neque in bonitate, neque in malitia mediocritatem ullam Sacerdos admittat. Quare per ficas illas bonas, & bonas valde: malas & malas valde apud Jeremiam (*a*) Sacerdotes intelliguntur, qui absque medio vel insigniter sunt boni, si fervent; aut insigniter mali, si tepent.

Veritas 8. Vitam beatam & sanctè hilarem
B 5 vivit

(*a*) c. 24.

vivit Sacerdos fervens; jugum enim Domini suave est, & onus leve, quod portatur cum gaudio: contrà Sacerdos tepidus ambulat vias difficiles, teste Scriptura, quæ sepiuntur undique spinis; quare vitam trahit miserrimam, sexcentis oppletam tædiis, ut experientia testatur, quæ octo veritates hoc triduo ad oculum patebunt, & hic interim supponuntur.

Inter vos, Domini mei (ad vestrum singulare solatium fidenter dico) per DEI gratiam non datur tepidus; nam fervore nunquam satis laudando, singulis annis renovatur spiritum hic congregamini, ut adeò infelix ille tepor, qui reprobos notat, locum habere apud vos non possit. Considerabimus tamen statum utrumque Sacerdotis & fervidi & tepidi, ut ad priorem incitemur; à posteriore autem tantopere abhorreamus, ne vel levissimum tantæ pestis initium reperiri apud nos unquam possit; nam denique tepor quilibet suapte natura dicit ad teponrem illum confirmatum, qui in Sacerdote certa reprobationis æternæ nota est. Sacerdotem igitur tepidum, sive regularem, sive sæcularem undecunque demum adductum considerabimus: ferventem contrà quasi proximè nobis adstantem contemplabimur.

Con-

CONSIDERATIO I.

*Sacerdos fervens & tepidus seu
pœnitentes, seu sacrificantes observantur &
discriminantur.*

Punctum I.

*Utriusque pœnitentia considera-
tur.*

Sacerdotem in Christi charitate ferventem contemplemur. Pœnitentiæ sacramentum is maximi facit, quare insigniter paratus semper accedit. Intelligit Mysterii pretium, quo in sanguine Salvatoris animi frides abluuntur. Intelligit JESU Christi summam benignitatem, qua suæ Majestatis offensas verè pœnitentibus mira facilitate condonat. Intelligit maximum puritatis augmentum, & gratiarum rivulos ex hoc Sacramento pretiosè manantes. His ergo luminibus instructus ad sacro-sanctum balneum accedit, quam sæpe potest, singulis minimum octiduis, non ex consuetudine, sed cum præparatione haud perfunctoria. Vitæ suæ rationes seriò inspicit, omissiones acri censura notat, errata etiam leviora sagaci oculo disquirit, seque ipsum sine palpo dijudicat. Considerans dein Domini sui ma-
jesta-

festatem, gratiarum cumulos, paternam benignitatem: considerans ex adverso palmarum ingratitudinem, qua tantæ bonitati male respondit: & pessimè cohærentem cum obligationum gravitate justi laboris defectum accurato examine ponderans, acri dolore compungitur, quem per suos gradus ad perfectæ charitatis apicem evehit. Quamvis autem cum Davide pœnitente genuini doloris sensum vix unquam deponat, amaro animo Propheticum illud sæpiissimè iterans:
Peccatum meum contra me est semper: Nihilominus in Sacramento conatu majore illud abominatur & horret, tanquam Divinæ bonitati super omnia dilectæ contrarium: propositum addit sincerum æquè ac firmum. In ipso Tribunali sacro nihil palliat, nihil excusat verè pœnitens ac humilis. Percepto demum summa cum reverentia & fiducia sacræ absolutionis beneficio, velut in sanguine Agni dealbatus gratias optimo Servatori agit filiali spiritu, & sacramentali satisfactione præstata, fervore novo in via Domini pergit, superadditis quoque pœnis voluntariis, quibus irrogatas supremæ bonitati à se injurias ulciscatur

Aliâ viâ incedit Sacerdos tepidus. Parū is considerat sive Sacramenti saluberrimi magnitudinē, sive Redemptoris piissimi benignitatem: parum æstimat vitæ suæ tepidæ innumeros errores. Crassâ ignorantia obcœcatus non videt ingentia damna, quæ sibi, gregi suo, toti

toti Ecclesiæ infert : non adeò malum se reputat, eò quòd gravissima sœcularium scelera non admittat : dùmque statûs sui celsitudinem, & onera eidem annexa minùs pen-
sat, omissiones quàm plurimas, sœpe notabiles ; desidias cum gravi animarum detrimen-
to conjunctas, mundana studia, sensuum
oblectamenta, sermones otiosos, vitam iner-
tem, humanorum affectuum turbas, ipsam-
que adeò teporis inveterati pestem ceu in-
firmitates non admodum culpandas coñiven-
ti oculo intuetur : hinc examen superficiale,
dolor admodum dubius, propositum aut
fictum, aut infirmum; denique èmendatio
nulla. Utì ex consuetudine potissimum su-
scipit magnum hoc Sacramentum, ita con-
suetudines pravæ isthac luridè agendi metho-
do non tolluntur, sed confirmantur. Ve-
rùm quid aget Sacerdos tepidus, cùm mani-
festè gravia subin exponenda veniunt, quæ-
ve ubi tepor invaluit, exesse diu non pos-
sunt? num fortè apprehendet satis, quàm
horrendum sit monstrum peccatum grave
Sacerdotis : peccatum grande nimis, quod
supra modum aggravant circumstantiæ om-
nes, vocationis præcelsæ, gratiarum singu-
larium, copiosi luminis, scandali multipli-
cis, gravissimarum obligationum? utinam
crimina, & statûs sanctissimi enormes ma-
culas inter humanas infirmitates non iterum
numeraret! utinam dolor serius, proposi-
tum efficax, sui generosa confusio ad pedes
saci

sacri Judicis , & emendatio tandem solida cum remedii utilis applicatione sequeretur? Quàm timendum , ne dolor ementitus, fictum propositum , inania vitæ melioris desideria miserum decipient ! si seriò ageret, provideret sibi de pio , fervente ac zeloso conscientiæ suæ arbitro : at verò cùm potius sibi non absimilem ac tepidum quærat, à quo conniventer habeatur, cœcus cœcum ducit , & ambo in foveam cadunt. Atque hinc dubia prorsus & periculosa semper est Sacerdotis tepidi pœnitentia. Sic non excutitur, sed invalescit tepor : sic non apriuntur, sed obstruuntur gratiarum fontes : sic ad animi plenam excœcationem, ad omnitudinam indurationem, ipsamque adeò reprobationem festinatur. Quis enim corrigit hominem , qui potentissimo ac ferè unico salutis remedio , quale Sacramentum pœnitentiæ est, non amplius corrigitur, sed suo perperam utentis vitio magis inquinatur?

Punctum II.

Iidem sacrificantes discernuntur.

Sacerdos in Christi charitate fervens, quia eminenti æstimatione sacrificii admirabilis plenus, intelligit victimæ sacrosanctæ immensum pretium, dignitatem ineffabilem, emolumenta, seu valore, seu numero infinita.

At-

Atque hinc negotium negotiorum, quo manus in vita sua suscipere nequeat, summa reverentia, vigili cura, studio tali tractat, quale in majoris momenti negotiis adhibere prudentes consueverunt. Animi egregiam puritatem imprimis curae habet, quam vel in sancto pœnitentiæ lavacro, vel in charitate non facta querere allaborat. Præparationem adhibet exquisitam: animus sibimet invigilans, fervor constans, cauta conversatio, sensuum custodia, sanctus Domini sui timor & amor præparationi remotæ serviunt: proxima verò constituunt hinc preces ab Ecclesia præscriptæ, quas cum sensu recitat; istinc virtutum præsertim Theologarum nobile exercitium. Accedunt sacra & amplissima desideria, Mysterii saluberrimi urgens fames, profundissima animi demissio, petitiones & multæ & magnæ, quas tum Sacrificii immensus valor, tum fiduciæ amplitudo postulat. Ne quid autem vel imprudens erret, ante Missam Directorium inspicit, atque in ipsa adhuc sacristia Missale ordinat & suis locis signat, ne cum adstantium molestia in ara primùm id facere oporteat. Cæterū paulò ante Missam curas omnes & cogitationes, quæ huc non faciunt, exesse jubet, totóque studio animum colligit, ut tremendis Mysteriis pro humanæ infirmitatis modulo convenienter aptetur. Sacras vestes induens cum spiritu dicit illa omnia, quæ dici jubet Ecclesia.

sia. Ad Aram verò procedens animos sumit toto mundo maiores ; dumque serio pensat , augustissimam JEsu Christi Pontificis æterni personam se gerere, æstimationem Sacrificii acuit , fervorem accedit , eaque gravitate , modestia , pietate Mysterio sacro sancto initium facit , ut adstantes ædificet , totam Ecclesiam recreet , ipsum quoque cœlum exhilaret spectaculum grande factus DEO , Angelis & hominibus.

Cæterum haud ignarus , sancta & arcanis cœlestibus plena hic esse omnia , nihil neglit : ad singulos apices , ad verba singula , ad verborum sensum , ad omnes ceremonias solicite attendit , ne quid vel minimum in re tanta peccetur , omittatur , mutiletur , aut indecorè deproperetur : Aræ igitur adstat ut sanctus , ministrat ut Angelus , Divinum sacrificium exequitur ut Christus . Confessionem ad pedem Altaris facit acri dolore compunctus ob sua , totiusque mundi peccata : Tenerima gratitudine plenus gratias DEO ac laudem dicit in hymno Angelico : fide robusta , & fiducia filium decente instructus , nihil hæsitando postulat in Collectis totius Ecclesiæ nomine , quidquid postulandum illa præscribit : cum reverentia & attentione legit Epistolam & Evangelium , cuius universalem promulgationem verbo & opere , quin & fuso sanguine adjuvare vehementer optat : simili pietate ad oblationem transit ; in Præfatione autem rursum

sum gratias tenerrimè agit, & quasi Angelorum immixtus choris, sanctum illud trisagion non corde minùs quàm ore profert. In Missæ Canone merus ignis & mera attentio est : verborum sensum ubique mens collecta sequitur. Suas, gregis sui, totiusque Ecclesiæ necessitates summa fiducia in commemoratione vivorum clementissimo Patri per JESUM Christum Filium ejus commendat : pari fiducia grande illud postulatum exequitur : *Ut in omnibus protectionis tua muniamur auxilio.* Magno animo de sacrificii virtute confisus pariter dicit : *Ab aeterna damnatione nos eripi, & in Electorum tuorum jubeas grege numerari, per Christum Dominum nostrum.* In panis & vini consecratione non jam ut homo terrenus, sed planè cœlestis vires suas omnes colligit, ut præsentem Dominum pro sua & totius mundi salute offerat, adoret cum Angelis, amet cum Sanctis. Pergit dein cum sensu dicendo singula, quæ præscribuntur : placent illi peculiariter verba illa immenso victimæ Divinæ pretio commensurata : *Omní benedictione & gratia spirituali repleamur, per eundem Christum Dominum nostrum.* Sapiunt illi præprimis verba Domino suo perquam honorifica, summéque gloriosa : *Per ipsum, & cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria.* Filium totus induit, cùm orationem Dominicam recitat, dùmque orationes cæteras ante commu-

nionem magno fervore pronuntiat, exquisito timentis & amantis affectu præsertim postulat: *Me nunquam à te separari permittas.* Sacrosanctum verò Domini corpus & sanguinem ceu pharmacum immortalitatis cum ardenti desiderio, & vilitatis propriæ intimo sensu accipit; postquam autem (*a*) *in meditatione sanctissimi Sacramenti admirabundus tantisper & venerabundus quievit*, Sacrum absolvit eodem spiritu, quo cœpit. Gratiis dein non perfunctoriè solutis, ut Ecclesia jubet, cor totum in conspectu Domini sui effundit. Sic pretiosè saginatus & robatur, gratiisque insigniter auctus fervore novo ad labores statūs sui proprios hilariter transit. Qua quidem piè sacrificandi methodo istud maximè consequitur, ut crescat in cognitione & amore Domini nostri JESU Christi. Sic denique notam habet multò præstantissimam, quòd ferventium de numero sit, quia pietate singulari quotidiam DEO Hostiam litat. Aliud profectò luculentius aut certius beati fervoris signum nemo requirat, præter hanc piè sacrificandi rationem. Sed nōque signum infausti temporis manifestius habemus, quām longa consuetudine firmatam in sacrificando negligētiā.

Sacerdos tepidus, quia vividam de sacrificii majestate ac valore æstimationem procurare negligit, cursim, luridè, obiter para-

(*a*) *Rubrica.*

paratus , inanum cogitationum turmis ob-
sessus , temporalibus curis miserè distractus
ad aras sacrosanctas irruit , (a) omniáque ita
„ deproperat , ita signa involvit , ita verba
„ præcipitat , acsi latrones post tergum in-
„ starent , & tempus ad fugiendum non ef-
set . Sine sensu , sine gustu , sine fructu ,
sine reverentia , sine attentione Sacrum in-
cipit , & cursim absolvit . (b) , Quam triste
„ verò ac deplorandum spectaculum , vide-
„ re Sacerdotem Divina Mysteria tractan-
„ tem , Angelorum choris undique septum ,
„ qui ad ea , quæ ipse operatur & loquitur ,
„ stupent ac tremunt : dum interea Sacer-
„ dos in medio positus , totus frigidus , &
„ quasi stupidus non attendit , quid agat ;
„ non intelligit , quid loquatur : & tamen
„ propter palmares negligentias conscientiæ
„ stimulum non patitur . Sic res sanctissi-
„ mæ contemnuntur , sic DEus irride-
„ tur , sic ridendi materia hæreticis da-
„ tur . Clamat è cathedra Sacerdos te-
„ pidus , in Sacramento Altaris JEsum DEI
„ Filium adesse ; ipse interim ita se gerit ,
„ ita hæc Sacraenta pertractat , acsi nihil
„ minùs verum putaret , & quasi DEum
„ marmoreum vel plumbeum haberemus ,
„ qui nihil sentiat , nihil videat , nihil au-
„ diat . Sed mihi crede , Sacerdos miser ,
„ DEum omnipotentem & vivum habemus

C 2 &

(a) Card. Bellarm. Conc. IX. de Adventu.

(b) ibidem.

„ & vigilem , qui connivet ad tempus : qui
 „ dissimulat quidem nunc tot injurias , quas
 „ omnes videt , omnes audit , omnes notat ,
 „ & aliquando severissimè ulciscetur . Ut
 „ nam ingrederetur in cor suum Sacerdos ,
 „ & cogitare inciperet : quis ego sum ?
 „ quid ago ? quomodo vivo ? quomodo San-
 „ cta Sanctorum traecto ? quo jure stipen-
 „ dium à DEO accipio , qui DEO tam ma-
 „ lè servio ? cur mihi manus inunctæ sunt ,
 „ & cur tot ceremoniis , tanta solemnitate
 „ Sacerdos initiatus sum ? an ut postea sine
 „ religione ac reverentia peragerem Divina
 „ Mysteria ? ista si cogitaret , materia non
 „ deesset longissimæ atque optimæ confes-
 „ sionis .

Verùm quia hæc non cogitat , in re sanctissima iniquitates super iniquitates accu-
 mulat , & ubi DEum placare deberet , ma-
 gis eundem ad justam indignationem com-
 movet . Adstantes porro qui ædificabit ?
 quantam æstimationem tremendis Mysteriis
 luridissimo sacrificandi modo conciliabit ?
 quæ scandala non fuscitabit ? Ut volatili ac
 venatorio tepidorum genio tepidus ipse ob-
 secundet , quadrupedante cursu Divina
 Mysteria deproperat , adeoque insulse præ-
 cipitat , ut neque modicum temporale ne-
 gotium ita gerere præsumeret , præsertim
 si lucrum aliquod esset conjunctum , aut
 damni periculum . Interim Dominum Do-
 minorum , suūmque Judicem offendere , in
 fa-

qui
quas
cat,
Iti-
os,
? an-
en-
na-
nt,
ate
ine
ina-
ion
fes-
tis-
cu-
na-
m-
t?
riis
t?
ac
ob-
na-
æ-
ie-
im-
ut
o-
in
fa-

faciem vilipendere, suumque temporem indies
confirmare nihil dubitat, quo facto sue re-
probationi ipsemet infelicissime praeludit, ac
subscriptit.

Superi boni! quale inter utrumque discri-
men! Per eandem actionem sanctissi-
mam unus maximè DEum honorat, alter
summè inhonorat: unus sanctificatur, for-
descit alter & reprobatur: unus Ecclesiam
ornat, ludibrio alter exponit: omnem be-
nictionem meretur unus, alter omnem
maledictionem. Unum idemque agunt
ambo; sed multum diversa tum interior,
cum exterior agendi ratio utrumque discri-
minat. Unum beatissimus fervor stimu-
lat; alterum infelicissimus tempor occupat:
Novit & amat prior Dominum nostrum
JESUM Christum; nec novit, nec amat
posterior: haec tanti causa discriminis. Fe-
lix notitia, omnis boni principium! tur-
pis ignorantia, omnis mali triste exor-
dium!

MEDITATIO I.

*Sacerdos fervens regali Sacerdo-
tiō gloriose ac sancte conspicuus 1. Petr. 2. - Sacer-
dos tepidus Incarnata Sapientia contemptor ig-
nobilis. 1. Reg. 2.*

Paludium 1. Imaginamur nobis hinc Sa-
cerdotem in JESU Christi charitate servi-
C 3 dum,

dum, Angelorum cœtibus immixtum, gloria & honore coronatum, Deique Filium suaviter illi arridentem, ac dicentem : (a) *Servus meus es tu, in te gloriabor.* - Illinc Sacerdotem tepidum, dæmonum ludibrium, hominum opprobrium, totius mundi vile rejectamentum, ad quem iratus Dominus : *Qui me contemnunt, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2.

Prælud. 2. Da mihi Domine sedium tuarum affstricem sapientiam, quæ mecum sit, & mecum laboret, ut intelligam Sacerdotis boni regalem gloriam, & tepidi multiplicem infamiam : da unius amorem, alterius summum horrorem.

Punctum I.

*Sacerdotis in Christi charitate
fervidi quadruplex regalis gloria.*

Sacerdos magne, Pontifex æterne, quem hic in Sanctissimo præsentem adoramus, quām admirabile est nomen tuum in universa terra, quia gloria & honore coronasti Sanctos tuos, Sacerdotes tibi fideles, & in amore tuo ferventes! - - Nam regale Sacerdotium quanta dignitas est, omnes longissimè superans mundi totius dignitates! - (b) „ Honor & sublimitas Sacerdotalis „ nullis potest comparationibus adæquari : „ si Regum fulgori compares & principum dia-

(a) *Isai. 49.* (b) *S. Ambr. l. de dign. Sacerd.*

„ diademati , longè erit inferius , quām si
„ plumbi metallum ad auri fulgorem com-
„ pares. - - Apage mihi regum coronas ,
„ purpuram , sceptrum , splendores ! sicut fu-
mus hæc omnia evanescent , si ad Sacerdo-
tis piè fervidi gloriam conferantur. - - (a)
„ Regi corpora commissa sunt , Sacerdotiani-
„ ma : major hic Principatus. Claves ter-
renas moderatur Rex terrenus : claves
regni cœlorum multò gloriōsius tenet pius
legis novæ Sacerdos. - - (b) Audite me igi-
tur , beatissimi Patres , & si dignum ducitis ,
sanctissimi Fratres ! audite me stirps
Levitica , germen Sacerdotale , propago
sanctificata , Duces & Rectores Christi.
Nobile regnum dedit vobis Dominus , &
verè Sacerdotium magnum , regnum deco-
ris & gloriæ , quod corona capitis vestri de-
notat. (c) Regni hujus quadruplicem gloriam
nunc examinemus.

Regni Sacerdotalis gloria prima. Dominatur
animo suo beatissimus Sacerdos , quem Iesu
Christi charitas succedit. Sequiores animi
motus coercet , cupiditates domat , sen-
suum lenocinia devitat : En regnum verè
gloriosum , suavissimæ pacis delicias jam
nunc copiose fundens , & in sæcula duratu-
rum. - - Regni hujus præclaram nobilitatem

C4

neque

- (a) S. Chrysost. hom. 4. & §. de verb. Isaia.
(b) S. Ambr. ut supra. (c) S. Hieron. relatus à
S. Thoma 1. 2. q. 1.

neque Poëta gentilis ignoravit, cùm cecinit:
*Fortior est, qui se, quām qui fortissima vincit
 mœnia.* Adstipulatur Sapiens, ubi dicit:
*(a) Melior est vir, qui dominatur animo suo,
 Expugnatore urbium.* - - Hunc regium pii Sa-
 cerdotis animum si vel obiter inspicere lu-
 bet, quanta in oculos nostros incurret lu-
 minis copia, quæ serenitas, quæ firmitas,
 quām beata tranquillitas, & pacis dome-
 sticæ affluentia! - - Animus bene composi-
 tus, dominator sui, nullis motuum intesti-
 norum agitatus turbis, & mundō sublimior
 quām dignum cœlo spectaculum est! - -
 Capio regalem gloriam: intelligo felici-
 tem ex beata JESU Christi notitia manan-
 tem.

Regni Sacerdotalis gloria secunda. - - Mon-
 stra peccatorum longè melius & gloriösius
 jugulat Sacerdos pius ac fervens, quām Her-
 cules ille Heroës inter notissimus leones,
 ursos, dracones invicto robore superarit. - -
 Immanis draco, ursus ferox, leo rugiens
 & rapiens, coluber venatus est mortiferum
 quodvis peccatum: discerpit, maectat, cru-
 delissimè devorat animas nobiles, preti
 JESU Christi sanguine tintas & redempta. - -
 Iotas tu atroces bestias, Sacerdos gloriose,
 sancti fervoris gladio, verbi Divini virtute,
 orationis armaturâ, vitæ Sacerdotalis exem-
 plô, magnanimitate plus quām regia profli-
 gas, sternis, exterminas! - - Vel unum
 tale

(a) Prov. 16.

tale monstrum subegisse quanta gloria! plurima vel Divini verbi gladio mactasse, aut in Tribunali sacro delevisse, aut pastorali solitudine arcuisse, quantis gloriæ splendoribus invictum pii Sacerdotis animum coronabit! quam dignus, qui regios Heroas inter numeretur!

Regni Sacerdotalis gloria & decus tertium.
JESU Christo Regi regum, & Pontifici æterni gloriose, sancteque conjunctus vivit Sacerdos spiritu fervens. Placet illi Christus, & ipse Christo placet: diligit Christum Regem, & ab illo quoque servus fidelis diligitur: cor utriusque unum & anima una. -- Vivit de Spiritu Christi Sacerdos fervens: quæcunque æstimat, quærit, amat & agit DEI Filius, eadem & amat, & æstimat, quærit & agit Sacerdos fidus Minister Domini sui: unus utriusque labor, idem scopus, Patris æterni gloria, & animarum salus. Quid igitur obstat, quin sit ura pariter utriusque corona? Hoc ipsum est, quod Regum uti maximus, ita & benignissimus pro fidi servo postulat: (a) *Volo, Pater, ut ubi ego sum, illuc sit & Minister meus:* Jam nunc volo ipsum consortem gloriæ meæ: sit mecum in honore, quia tecum est in labore. -- Quid verò glorioſius cogitari possit, quam JESU Christo DEI Filio non minùs intellectu, quam voluntate, corde & opere ita conjungi, ut amicus amico inti-

C5

mē

(a) *Ioan. 22.*

mè conglutinatur? - - Intelligis hanc tuam celsitudinem, serve bone & fidelis, quæ illi Domino te proximè admovet, quem gloriofè adeò repræsentat veteris Testamenti Oeconomia universa: quem tantis splendoribus irradiat sanctæ Ecclesiæ pia sollicitudo: quem stupens admiratur Sanctorum & Angelorum omnium celeberrima universitas? - - Huic Domino servire regnare est: quid erit arctis amicitiæ vinculis eidem colligari? - - Et hanc quidem gloriæ sublimitatem fervor Sacerdotalis, ex beata JEsu Christi notitia prodiens indubitato comparat.

Regni Sacerdotalis gloria quarta. Sacerdotem pacis Angelum, Mediatorem DEum inter & homines, Patrem communem, Pastorem bonum, Ecclesiæ ornamentum & columnam suspiciunt cœlites, venerantur homines, timent dæmones, illique cuncta deserviunt. - - Felicem se reputat cibus, quo vescitur; potus, quo reficitur; aër, quo conservatur. Beatæ vestes omni purpura meliores, quibus tegitur! terra nobilis, à qua sustinetur! Sed quid mirum, si honoratur à servis & mancipiis, quem ipse DEUS ac Dominus majestatis, Pater DEI ac Domini nostri JESU Christi honorat? quidni honorificet Angelus, quem honorificat Angelorum Dominus? quem cœlum suspicit, fors terra non venerabitur? - - Habet Sacerdos fervens magnificum, quod fru-

frustrari non potest, Veritatis Increatæ promissum : (a) *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* En fidelis Minister JESU Christi ! honorificat te summa Sanctitas ; honorificat immensa Bonitas : in pretio te habet infinita Sapientia , æstimat te Omnipotentia . - - Verè nimis honorati sunt amici tui, DEUS ! nimis confortatus est Principatus eorum. - - Tuorum ego pedum sacra vestigia exoscular , Sacerdos JESU Christi, quem fidele supremi hujus Regis ministerium sanctè occupat ! - - (b) *Dilectus DEO & hominibus, cuius memoria in benedictione est : similem illum fecit in gloria Sanctorum.* - - Ad isthac honorum fastigia evectus Sacerdos bonus , nullo tamen pace inflabitur , sed grave solummodo pondus obligationum sentiet , sub quo indefessus laborabit & sudabit , tantò magis honorari dignus , quantum minus honore dignum ipse se æstimaverit.

Punctum II.

Tepidi Sacerdotis quadruplex infamia.

Stigma infame primum. Contemnit Sapien-
tiam Incarnatam Sacerdos tepidus : sed
& ipse contemnitur. Vilipendit luridō
obsequiō Domini sui majestatem : hinc &
ipse vilipenditur. - - Cupiditatum suarum
ser-

(a) *Ioan. 12. 26.* (b) *Eccli. 45.*

servus ignobilis efficitur , dum vocationis
sua celsitudini haud respondet ; quare ad
vanitates , ad nugas , ad sensuum blandimen-
ta , & mille quisquiliis infelix delabitur :
mille terrenarum rerum vinculis obvolvi-
tur appetituum suorum vile mancipium . - -
Videbis modò inaniter sola in superficie hilare-
rem , mox tetricum , paulò pòst iracundum ,
curis fæcularibus miserè implexum , hono-
ris proprii magis quàm Divini acerbum
vindicem , commodis suis intentum , aut
inerti denique otio diffluentem . - - Sequio-
res hos animi partus , ac devios à recta ra-
tione affectuum greges continuò pascit ve-
lut alter prodigus . Quò enim abjectissimæ
vilitatis non decidit , qui à vera virtutum
nobilitate recedit ? Sed quàm portentosa com-
positio Sacerdotis cum spurcissimo grege , cum
furfure , cum terræ fôrdibus & immunditiis !

Sacerdotis tepidi stigma infame alterum.
Servus est peccati , quod passim facile ad-
mittit vel sine remorsu , vel cum remorsu
contemptu . - - Non vivit equidem sine pec-
cato Sacerdos servidus ; at non servit peccato ,
infame peccati jugum non portat , quod statim
abjicit : statim emundat , si quid labis animo
adhæserit . - - Contrà Sacerdos tepidus vi-
lis instar jumenti onera peccatorum portat ,
& (a) servus est peccati , quo se se turpiter onerat
absque numero , sine mensura , sine scru-
pulo . - - Turpissimam servit servitatem ,
quia monstro abominando subditus vivit :

(a) Joan. 8.

sed

sed quām fœdum hoc ignominiæ stigma, rei
viliissimæ servum adhuc viliorem ac subdi-
tum fieri ! tali Hero quid contemptibilius ?
Tali servo quid ignobilis ? - - Sed vitam
Sacerdotis tepidi vel obiter inspexisse suf-
ficiet, ut infamem peccati servum depre-
hendamus. Heu ! tota illius vita pecca-
tum est. Opera quæque sanctissima fiunt
illi in peccatum : quid ergo de suapte na-
tura malis dicendum ? - - Peccat igitur Sa-
cerdos tepidus, cùm luridè celebrat : pec-
cat, cùm negligenter orat : peccat, cùm
res sanctissimas sanctè non tractat ; cùm
Sacramenta sine spiritu administrat ; cùm
DEI verbo non gregem, sed vanitate seip-
sum pascit : - - Peccat miser in templo, pec-
cat in agro : peccat in domo , peccat in
foro , in mensa , in popina, in cubili. Pec-
cat solus cogitando vana , operando ina-
nia : peccat in conversatione loquendo inu-
tilia, proferendo sœcularia , proximum non
ædificando. Et quantūm non peccat in-
numeris omissionibus in DEI obsequio ,
circa salutem propriam , circa animarum
curam ? - - Quis autem credat, intra ve-
nialium limites ipsum perpetuò hæsurum ?
Et si denique menses singuli non nisi singu-
la peccata gravia parturirent, quām horri-
dam vel hinc solūm contrahet infamiæ no-
tam ! quid si verò quotidiani etiam fuerint
monstrosi partus ! vah ! quām portentosa
iterūm compositio Sacerdotis vel cum uno

pec-

peccato mortali ! Funestissima hæc est infamiarum epitome : totius ignobilitatis infame compendium.

Sacerdotis tepidi stigma infame tertium. - -

A JESU Christo gloriæ totius , ac nobilitatis fonte segregatur Sacerdos tepidus , qua turpior ignobilitas cogitari non potest. - -

(a) *Si non lavero te , ait olim JESUS Petro , non habebis partem mecum.* Adeò terruit fermentem discipulum acerba comminatio , ut lavari etiam totus voluerit , qui paulò ante solos pedes ablui sibi non sustinebat. - -

Avernale stigma hoc est , non habere partem cum Christo. Sed quomodo partem cum Christo habebit , qui nihil habet cum Christo commune ? - - Sanctis & bonis

JESU Christi moribus pollere debet Sacerdos , qui partem habere cum ipso velit : pretiosam ejus imaginem referat necesse est , qui filios inter & hæredes numeretur. - -

Sed ubi hæc imago in Sacerdote lurido ?

Ubi apud ipsum fervor , ubi zelus , ubi mansuetudo , charitas , oratio , modestia , temperantia JESU Christi ? - - Quin potius Antichristi teterrimam speciem refert ,

Christo JESU per omnia contrarius. - - Humilis & mansuetus est Salvator : superciliosus aliisque durus , sibi tantummodo lenis

est Sacerdos tepidus. Ipsamet puritas est Virginis Filius : merissima fœculentia Sa-

cerdos tepidus. - - Ignis consumens est
Do-

(a) *Joan. 13. 8.*

Dominus DEUS noster : mera glacies , me-
rum frigus Sacerdos in tempore confirmatus.
Si ergo reprobis est , qui nihil habet cum
JESU Christo commune , quid illi fiet , qui
JESU Christo per omnia est contrarius ? - -
Hoc infamiae totius centrum est , à JESU Chri-
sto moribus & vita segregari.

Sacerdotis tepidi stigma infame quartum. - -
Quo tandem in pretio erit sive in cœlo, sive
in terra Sapientiae Incarnatae contemptor ig-
nobilis ? Hunc sanè omnia despiciunt ,
quia communem Dominum luridō servitiō
ipse despicit. Contemnit illum totius cœli
beata Civitas , quia cœlestis Jerosolymæ
Dominus ab eo contemnitur. - - Despicit
ipsum JESU Christo ex asse devotus beato-
rum Spirituum exercitus ; despicit omnium
Sanctorum glorioſissimus conventus : de-
spicit hoc naturæ portentum ac terræ pro-
brum omnis humana creatura : despicit
hominem iniquum , impium , ingratum
tota creaturarum universitas , quæ Regis
sui contemptum jam nunc vindicaret , si
tempus vindictæ longanimis DEUS non
protraheret , ut invitet ad pœnitentiam. -
Despiciunt denique Sacerdotem tepidum
ipsæmet suæ oviculæ , cùm vident aliter
loquentem , aliter agentem ; dicentem , &
non facientem ; sœcularium vitiis fordescen-
tem !

Atque hoc demum est nec amare , nec
novisse Dominum nostrum JESUM Christum.

Hoc

Hoc tandem est infeliciter languere ac te-
pere in sancto piissimi Redemptoris obse-
quio. Hæc summa ignobilitas & infa-
mia quadruplex , quam plenus ignominia
tepor necit , & servilibus compunctum
notis turpe mancipium in ultimo vilitatis
gradu collocat. - - Nempe qui non amat
Dominum nostrum JESUM Christum , ana-
thema , exterminium , horridum ulcus ,
fœda sanies , vilissimum peripsema est pro-
cul ab omnium oculis removendum.

Ad te modò convertimur , Sacerdos in-
famia plene , quotquot hic in Domino su-
mus congregati , teque ignobilem , infa-
mem ac contemptibilem ore unanimi pro-
clamamus , quia nec amas , nec honoras
Dominum nostrum JEsum Christum ! - -
Hoccine verò amare sit , cùm luridissimè
sacrificas ; luridissimè oras ; tanto Domi-
no luridissimè servis ? - - Isténe honor
est , quem illi exhibes ? - - Scito , infa-
mia generis & statūs nostri , esse ignobilem
prorsus memoriam tuam , quæ parum de
JEsu Christo , plurimùm de nugis cogi-
tat ; ignobilem esse intellectum tuum , qui
terrena tantùm volvit ac meditatur ; ignobi-
lem esse probrosam voluntatem tuam , quæ
infimis tantùm , merisque fœculentiis de-
lectatur ; ignobile esse totum corpus & ani-
mam tuam , ubi nihil JEsu Christi , nulla ejus-
dem assimilatio , nulla charitas , fervor
nullus invenitur.

Te

Te verò suspicimus, cor nobile Sacerdotis fervidi, quod impensè amat Dominum nostrum JESUM Christum! Nobilis memoria, quæ tanti Domini seu admirandam magnitudinem, seu amabilissimam bonitatem perpetuò volvit! Nobilissimus intellectus, qui JESUM Christum indefessè meditatur! - - Gloriosi oculi, beatæ manus, pretiosa lingua, speciosi pedes, quos Domini ac Regis optimi, maximi gloria & obsequium constanter occupat! - Quàm nobile regnum JESU Christi, in quo tot heroës magni præclarè militant, quot sancti Sacerdotes ejus honorem, notitiam & amorem promovent! Regnum felicissimum, in quo nemo miser, nemo tristis, nemo despectus; omnes beatissimi vivunt? Regnum admirabile, in quo nemo impius, nemo tepidus; sed sancti omnes: tot reges potentissimi, quot Sacerdotes fervidi sub glorioso Capite JESU Christo, sacris lætitiis inuncti, gloria & honore coronati vitam in terris cœlestem agunt, immortalis vitæ felicitatem paulò post consecuti.

Te demum, Rex æterne ac Pontifex noster! Sacerdotes tui ac servi minimi, hic in tuo nomine congregati, supplices deprecamur, ut quodlibet infasti teporis initium à nobis benignus removeas, & beatissimi fervoris quotidiana incrementa propitius largiaris, per te JESU Christe Rex

D

gloria,

gloriæ, qui vivis & regnas in sæcula sæculorum, Amen.

Exercitium voluntatis per actus vividos, & firmos doloris, propositi: horroris, desiderii &c. Tantisper in silentio continuantur, ubi etiam si quisque solicite inspicit, num fors aliqua in animo suo deprehendat miseri teporis vestigia, praesertim in sacrificando, simûlque de efficacibus rati mediis adhibendis cogitatur.

CONSIDERATIO II.

Sacerdos fervens ac tepidus orantes & horas legentes observantur.

SIcut absque ullo temerarii judicii periculoso tepidis accensere possumus Sacerdotem illum, sive regularem, sive sæcularem, qui luridè sacrificare consuevit, ita pariter abominandi teporis infelicem notam haud dubiè iterum præfert Sacerdos, qui passim non orat, aut malè orat. In ferventium numero censi debet Sacerdos, qui orationem inter præcipua statūs sui munera habere non dubitat. (a) Nam Presbyteri officium in orando DEum pro totius Ecclesiæ, & populi Christiani prosperitate situm est: ideoque proventus & beneficia Sacerdotibus conferuntur, ut ipsi pro populo precibus ac votis insistere, ejusque debeant peccata portare. S. Petr. Dam. l. 4. Ep. 14.

(a) Concil. Colon.

Pun:

Punctum I.

Pij Sacerdotis oratio consideratur.

Sacerdos in Christi charitate fervens orationis tum singularem præstantiam, cùm necessitatem summam probè intelligit: - Ad thronum Misericordiæ , supremæque Majestatis alloquium admitti se novit, cùm orat: - Perspicit sanè , profuturum se nec sibi , nec aliis nisi ferventer orando. Oratione totum ipsius robur , curarum & laborum suave lenimen , contra hostium incursus omne præsidium est : oratione tædia pellit , teporem eliminat , fervorem accedit , vitia superat , virtutes auget , animabus totique Ecclesiæ potenter succurrit. . - In quotidiana meditatione , seu orationis internæ exercitio , quod nunquam intermitit, unum saltem horæ quadrantem illi tribuendo , gustat & videt, quām suavis sit Dominus : Delectatur in Domino , & mente sustollitur super altitudines nubium. - Quænam verò Sacerdotis quotidie meditantis materia ? Nobilissima sanè , perquam sublimis & jucundissima , neque minùs fructuosa. Quotidie , non cursim ; sed pie , profundè , practicè inspicit grandes Evangelii veritates ; JESU Christi DEI ac Domini no-

stri augustissimam & amabilissimam personam ; illius admirandas & suavissimas proprietates, mores sanctissimos, dicta & facta; vitæ, passionis & mortis stupenda mysteria, quorum altitudo, profundum, longitudo & latitudo infinita hoc uno verbulo, DEUS-HOMO, mirabiliter continetur. - - Quare in meditatione tam sancta necessariò exardescit ignis luculentus beati fervoris. - - Sive igitur DEum ac Dominum suum in immensa æternitatis abyssō consideret ex Patre natum ante omnia sæcula, DEum de DEO, lumen de lumine, Deum verum de DEO vero : Sive à mundi oxordio annis quater mille præsignatum contempletur : seu mirabiliter ex Virgine intemerata genitum à sancta Ecclesia mille laudibus exornatum, amatum, adoratum ; à Sanctis omnibus unicè desideratum, super omnia dilectum sibi repræsentet, videt hinc attonitus Domini suavissimi profusam in omnes charitatem, & gratiarum sibi præsertim collatarum cumulos : dein gravissimas tantæ Majestati ac Bonitati fideliter serviendi obligationes ponderans, mirum est, quo fervore accendatur. Ita verò succensus, sublimè volat ut aquila : vivit ut Angelus : bovem triturantem imitatur operarius indefessus : animosè decertat, vincitque ut leo, factus dæmoni formidabilis,

Etiam horas Canonicas legentem pium Sacerdotem consideremus. Primò quidem

dem intelligit, quantum sit pensi sanctissimi ab Ecclesia instituti pretium, utpote quod ad laudes DEO perpetim dicendas, & non minùs ad totius fidelis populi munimen, quam ad ipsius Sacerdotis spiritualem profectum illa sancte ordinavit. - - Horas itaque dicturus, animum colligit, & à curarum etiam piarum turbis semovet: DEum præsentem spectat: ad supremæ Majestatis alloquium ire se cogitat: legatione ad DEum pro populo fungi se novit. Quare non ex consuetudine orat: non ex dura necessitate; sed pia & alacri voluntate, minimè festinando, sed psalmorum, verborum, orationum, versiculorum succulentos & sacros sensus suaviter degustando. - Laudat cum Propheta laudante, adorat cum adorante, amat cum amante, timet cum timente, orat cum orante, dolet cum dolente, & sic deinceps spiritum Psalmographi ubique sequitur, non ignarus, virtutum omnium exercitium in psalmis contineri. Illos præcipue amat, qui magis & propius ad Christum Dominum referuntur, quamvis ad illum spectent plerique omnes, cum tota ipsum Scriptura mirabiliter loquatur. Exemplo sit psalmus 109. quem singulis diebus, exceptis tantum feriis, singulari prorsus animi exultantis lætitia dicit: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Hic lætus intuetur vi-

D 3 etorem

etorem JEsum gloriose ad dextram Patris
considentem. *Virgam virtutis tuae emittet
Dominus ex Sion; dominare in medio inimico-
tum tuorum.* Hic gaudens miratur Domini
sui potentiam, & victrices de hostibus fe-
rocissimis, morte, peccato, dæmone, ob-
tentas lauros ac palmas eidem piè gratula-
tur. *Tecum principium in die virtutis tuae in
splendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum
genui te.* Utramque IESU Christi genera-
tionem ineffabilem, temporalem non mi-
nus quam æternam, summâ reverentia hic
admiratur. *Juravit Dominus, & non pa-
nitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum
ordinem Melchisedech.* Pontificem suum,
cujus regni non erit finis, hic piè venera-
tur. *Dominus à dextris tuis confregit in die
ira sua reges. Judicabit in nationibus, imple-
bit ruinas: conquassabit capita in terra multo-
rum - - Gaudet diei magnæ venturum Ju-
dicem cum potestate magna & majestate.
De torrente in via bibet, propterea exaltabit ca-
put.* Dolores & humilitatem passionis
gratus recolit, & miræ exaltationis glo-
riam gratulatur. Pari passu cum propor-
tione in aliis psalmis se gerit, mavultque
festinando lentè non nihil temporis superad-
dere, quam indecorè properando, sacrîs
gustibûs, piis sensibus, & virtutum plu-
rimarum exercitiô seipsum fraudare. Pa-
rum refert, inquit, etiamsi medio quadran-
te tardius horas absolvero, cùm tantum inde
lucrî

lucri percipiam, & errores quam plurimos
sic devitem.

Quia vero humanæ fragilitatis infirmitas
diu arcendis evagationibus animi par esse
non potest, ad singula *Gloria Patri* pieta-
tem acuit, & rationabilem fervorem denuo
accedit. -- Si multum fervens est, pretio-
sum hoc pensum majoris reverentiæ ergo
de genibus plerumque recitat, dignissimus,
qui ad laudes DEO dicendas Angelorum cho-
ris societur. Claudit denique preces ad
Ecclesiæ mentem, quibus & examen brevif-
simum subnectit, ut defectus magis magisque
semper emendet.

Punctum II.

*Sacerdos tepidus orans considera-
tur.*

VEl non scit tepidus Sacerdos, quid sit,
& quomodo institui debeat mentalis
oratio: vel si ignarus omnino non est,
aut illam penitus omittit, aut speculativè
tantum & siccissimè, absque fructu, sine
sensu meditatur. Horret nimurum ingredi
in seipsum, quia præter sordes & miserias
domi suæ reperit nihil. Hoc igitur spiri-
tualium commentationum præsidio destitu-
tus, & pane optimo seipsum privans miser-
rimè languet, nullisque gratiarum fluentis
irrigatus, montes Gelboë infœcundos ac
steri-

steriles quovis pumice aridior in animo suo circumfert. Non obligari se ait ad meditationem quotidianam, & vel hac sola excusatione frivola teporem prodit. Tempus sibi deesse obtendit, quod tamen ad jocos & nugas abunde suppetit. O si expendere serio vellet peccatum Sacerdotale grande nimis; mortem amaram, judicium durissimum, infernum profundissimum Sacerdotis tepidi, quam citò in virum alium immigrantem susciperemus!

Horas autem legens raro se prius colligit, & vix unquam ad bene orandum sese disponit: sed capite nugis & curis temporalibus oppleto in Breviarium involat, dumque Sacerdos pius festinatum DEI auxilium ad bene orandum postulat: *Domine ad adjuvandum me festina*, Sacerdos luridus ad festinandum potius adjuvari desiderat: *Domine ad festinandum me adjuva*. Igitur millenas inter evagationes sacratissimum pensum luridissime deproperat, truncat, præcipitat. Habeo, inquit ille, alicujus momenti negotium, quare festinato est opus: Quasi verò, mi Sacerdos, negotium majus in vita habere posse, quam Divinæ Majestatis alloquium. Ut animi evagationes impediam, ait ille, non nihil festino: Bellum remedium, male ac irreverenter orare, ut bene ores! -- Multò melius Sacerdos fervens rebus suis consultit, dum ex Ecclesiæ mente spiritum filiale oraturus induit, & per beatæ

tæ cum Domino suo familiaritatis exercitium reverens, ad quod psalmi omnes & reliqua Breviarii manuducunt, cunctis evagationibus felicissimè occurrit. - - Mentis meæ aberrationes voluntariæ non sunt, pergit excusare tepidus: Sed crassè culpabiles sunt, ac vel ideo peccaminosæ, quia nullum diligentia modum adhibet, ut iisdem occurrat. Itaque ex mera consuetudine, aut dura potius necessitate, non ex piæ voluntatis motu: sine succo, sine gustu, sine fructu, absque merito, inter sexcentos animi aliò discurrentis circuitus, seipsum non intelligens, cum grandi peccatorum numero absorbet verba sanctissima, quæ DEI Spiritus dictavit, & sub quibus Mysteria sublimissima abscondit, ut adeò mirum non sit, quod (a) *Oratio ejus fiat ipsi in peccatum.* - - Honorare deberet Dominum suum hoc penso, & magis inhonorat: propitium reddere Numen deberet, quod magis ad iracundiam provocat: avertere à grege sibi credito flagella deberet, quæ malè orando multiplicat. Pascere spiritum suum basilicè posset ac roborare in pinguissimis Scripturarum pratis, & psalmorum, precumque sanctissimarum abundantibus pascuis: ipse verò gracilescere mavult & languere. Brevis horæ quadrans ad ritè orandum superadditus intolerabilis ei videtur, cum tamen plerasque diei horas miserrimè prodigat. Sed videamus

Pjal. 108.

D 5.

practicè,

practicè, quomodo v. g. psalmum superius adductum, & alios pari stylo decurrat : *Dixit Dominus Demino meo, sede à dextris meis.* Quàm lautè hodie cœnabo ? Jam adverto, sapient haustus vini. *Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Quis hic in platea obambulat ? fors ille ad me ? *Virgam vitutis tuae emittet Dominus ex Sion.* Mirabilis temporum cursus ! quid, quæso, afferent novi pagellæ publicæ ? Et sic deinceps. Sed hoccine orare est, aut petulanter cum DEO nugari ? Servet nos benignum Numen ab hujusmodi oratione ! vah ! quantum inter hosce duos orantes discriben !

MEDITATIO II.

Sacerdos fervens dives in virtute. Eccli. 44. - *Sacerdos tepidus, miser & miserabilis, & pauper, & cœcus, & nudus.*

Apoc. 3.

PRÆLUD. I. Repræsentamus nobis ex una parte Sacerdotem pium, non tantum gloria & honore coronatum, sed etiam veris divitiis affluentem, charitatis aurô præfulgidum, & virtutum gemmis pretiosè exornatum : Ex altera vero parte speciem Sacerdotis tepidi effingimus, laciniosi, luridi, miserrima egestate pressi, & immani quoque grandium debitorum pondere onerati.

rati. Ad priorem spectant verba illa psalmi
III. *Gloria & divitiae in domo ejus.* Ad po-
steriorem illud Apoc. 3. *Nescis, quia tu es
miser & miserabilis, & pauper, & cæcus, &
nudus.*

Prælud. 2. Alme Spiritus ! da utrum-
que Sacerdotem sapienter discernere ; imi-
tari bonum , ejusque divitias colligere :
tepidi verò turpisimam egestatem horrere
ac devitare

Punctum I.

Sacerdotis pij thesaurus quadru- plex.

I. **T**hesaurus laborum. Jucundum est con-
siderare Sacerdotis fervidi pia stu-
dia , quæ dum in objecto nobilissi-
mo terminantur , splendorem ab eo mirifi-
cum , & pretium singulare mutuant . - -
Nimirum DEus ac Dominus noster meta
ipsius beatissima est , in quam labor ejus
universus collineat . Quare nonnisi opera
plena pius Sacerdos numerat : quomodo
enim plenum non sit , cuius principium au-
rea Christi charitas : cuius medium & finis
eadem pretiosa charitas ? - - JEsu Christi
Domini sui gloriam per actiones vitæ suæ
celeberrimas & nobiliores indefessè quærit ,
unde valorem accipiunt omni æstimatione
nostra

nostra superiorem. - - Considerans igitur Sacerdos fervens JEsu Christi Domini sui magnitudinem , amabilitatem , & amplissima nomina , quibus illi obstringitur , memoriam suam thesauro implet nobilissimorum imaginum , quæ ejusdem Divini Servatoris præcellentias , virtutes , facta & mysteria pretiosè exhibit : palatum dices , picturis & aulæis maxima quæque referentibus non jucundè minus quam splendide exornatum. - - Oritur hinc thesaurus alter præstantissimarum cognitionum , quibus affluit intellectus tantâ sacrarum imaginum opulentia instructus. - - Enascitur hinc denuo thesaurus alius pulcherrimorum affectuum in voluntate , quorum & amœnissima teneritudo , & egregiè operatoria virtus continuò tendit in Dominum nostrum JEsum Christum. Quare cum mellifluo Bernardo eadem alit animi sensa :

(a) „ Si scribas , inquit , non sapit mihi , „ nisi legero ibi JEsum : si disputes aut con- „ feras , non sapit mihi , nisi sonuerit ibi „ JEsus. - - (b) Hæc meditari dixi sapien- „ tiam , in his justitiæ mihi perfectionem „ constitui , in his plenitudinem scientiæ , in „ his divitias salutis , in his copias merito- „ rum. Propterea hæc mihi in ore fre- „ quenter , sicut vos scitis : hæc in corde „ semper , sicut DEus scit : hæc stylo meo „ admodum familiaria sunt , sicut oportet :

„ hæc
(a) Serm. 15. in Cant. (b) Serm. 43. in Cant.

„ hæc mea subtilior interiörque philosophia
„ scire JESUM, & hunc crucifixum.
Oeconomia hæc interior præclare adeò con-
stituta thesaurum denique parturit sacratissi-
mi ac indefessi laboris, in quem potentiae
omnes tam externæ quam internæ unà con-
spirant, ut agnitus, aestimatio, amor &
gloria Redemptoris ubique inseratur, &
maximis incrementis promoteatur. - - Ju-
cundum hoc & nobile studium quid &
quantum non efficiet vel mensis unius spa-
tio? Quales laborum cumuli ac thesauri
prædivites coacervabuntur, dum Sacerdo-
tis caput, lingua, calamus, pes, manus pre-
tiolè adeò constantérque occupatur?

2. *Thesaurus virtutum ac meritorum.* Sequi-
tur hic ex priore; quid enim labores JESU
Christi causâ suscepti parturiant aliud, nisi
merita & virtutes? - - Circa res sublissimas
ac pretiosissimas perpetuò ferè occupatur
fervidi Sacerdotis industria, videlicet cir-
ca Auctorem Fidei & Consumatorem JESUM,
circa ipsius sacratissimum corpus & sanguinem
conficiendum, sumendum, distri-
buendum; circa ejusdem sacramenta admi-
nistrandam; circa verbum illius Divinum aut
meditandum, aut legendum, aut prædi-
candum. Quanta verò hinc sublimium
virtutum ac meritorum quotidiana copia! --
(a) *Charitas Christi urget nos*, ait ille cum fer-
ventissimo Paulo, unde thesauri omnes sa-
pien-

(a) 2. Cor. 5.

pientiæ, sanctitatis & scientiæ ubertim profluunt. -- Eâdem charitate magistrâ virtutes circa proximum exercet planè heroicæ, & perpetuò concatenateas ; modò patientiam heroicam vel in tribunali sacro, vel in toleranda cruditate, malitia, stupiditate, ingratitudine, rusticitate, aut imbecillitate eorum, quos lucrari JESU Christo contendit : Modò heroicæ ac paternæ mansuetudinis, zeli ardantis & discreti misericordiæ, pietatis, temperantiæ, aliarumque virtutum glorioso exercitio est intentus : instructio rudium, parvulorum eruditio, ægrorum visitatio, mœstorum consolatio, moribundorum administratio palæstra ipsius quotidiana est, ut actus virtutum innumerabiles taceamus, quos tum in sacro, tum in precibus Canonicis, aliisque privatæ pietatis actibus elicere nunquam non intermittit. Quanta verò hinc meritorum seges, & virtutum abundantia !

3. *Thesaurus luminum, & solatorum.* -- JESUS Christus fons luminis & sol Justitiæ : Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, mirabiliter illuminat Sacerdotem suum, filiali spiritu continuò ad se accedentem. -- Quantam vim præstantissimorum luminum vel unum admirabile Incarnationis Mysterium illi suppeditat ! -- Quid non luminis haurit ex Pauli epistolis, quæ aliud ferè non

lo-

loquuntur, nisi (a) divitias investigabiles JESU Christi, cuius sanctissimum nomen sexcenties inibi occurrit legendum! - - Vel paucissima haec illius verba quantis splendoribus pij Sacerdotis animum irradiant: (b) *Omnia & in omnibus Christus.* - - (c) *Propter quem & per quem omnia &c.* Quam admirandi ordinis pulchritudo menti ejus illucescit, cum piè ruminat Paulinum illud: (d) *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* - - Luce mirifica, quæ delectando satiet, & satiando delectet, animus ipsius infunditur, cum psalmos, vel alium quempiam Scripturæ librum volvit, postquam in interiora JESU cum piissimo Kempensi semel introivit, unde tota jucundissimi luminis abundantia scaturire nunquam definit. - - Hinc & solatiorum thesaurus indeficiens, quo labores Apostolici temperantur. Quare cum indefesso gentium Doctore securus dicit: (e) *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* - - Lætus cum Propheta regio ingeminat: (f) *Non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Nam ad se quoque pertinere confidit illud solatiō plenum: (g) *Dicite justo, quoniam bene!* - - Itaque (h) *Pax,* quæ exsuperat omnem sensum, custodit cor & intelligentiam ejus in Christo JESU Domino nostro, cuius

(a) Eph. 3. 8. (b) Col. 3. 11. (c) Hebr. 2. 10. (d) 1. Cor. 4. (e) 2. Cor. 7. (f) Psal. 22. (g) Isai. 3. 10. (h) Phil. 4. 7.

jus jugum suave & onus leve beatissimâ experientiâ non tam portat, quàm suavissimè degustat.

4. *Thesaurus præmiorum.* Magna merita, pretiosos labores , heroicas virtutes pij Sacerdotis sequi non possunt nisi præmia exquisitè magnifica & singularia. Merces magna nimis te expectat , serve DEI secundùm charitatis tuæ mensuram. Te gloriosus excipiet Apostolorum chorus, cum quibus indefessè prædicas Dominum nostrum JEsum Christum. Doctorum laureolam consequeris ; nam (a) qui ad justitiam erudierint multos , fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Sed & Martyrum palmas invictâ patientiâ colligis. - - Verùm cedant omnia hæc uni præmio , quo amplius nec ipse gentium Doctor desiderandum censuit: (b) Semper cum Domino erimus. Istum unum sufficere ad uberrimam quoscunq; inter labores consolationem existimavit : Consolamini invicem in verbis istis. - - Non ut servus in posteriore loco ; sed ut filius, ut frater, ut amicus inter primos Electorum ordines Sacerdos Apostolicus considebit. JEsu Christi lateri comes individuus æternum hærebit Minister intimus & fidelis. - Quantis illum in morte solatiis jam replebit Dominus magnificus in retribuendo ! quàm securus videbit Judicem suum , quem dilexit!

(a) Dan. 12. 3. (b) I. Thess. 4. 17.

lexit ! (a) Adimplebit eum Dominus latitia
cum vultu suo : Delectationes in dextera ejus us-
que in finem. - - Pretiosa vitæ momenta ,
quibus tanta prœmiorum opulentia tantillis
impendiis nunc comparatur !

Punctum II.

*Turpissimæ egestatis miseria qua-
druplex , in quam sese induit tepidus Sa-
cerdos*

Miseria I. Merissimum vacuum est Sa-
cerdos tepidus : dies numerat vacuos ,
opera inania , cortices absque nu-
cleo , folia sine fructu. - Nonnisi merum
vacuum reperies in vanissimarum cogitatio-
num , inutilium desideriorum , & actio-
num futilium pauperrima congerie. - -
Aërem verberat miser , & aura inani pasci-
tur. Caret nimirum verâ sapientiâ , sine
qua nihil solidum esse potest. Ignorat mi-
ser JESUM Christum , atque hinc seipsum
quoque crassè ignorat : statûs sui præstan-
tissimam sublimitatem non intelligit , gra-
vissimas obligationes nunquam ponderat :
ignorat præsentia , nescit præterita , non
prospicit futura , sicque in fumo ignorantiae
vacuo sepultus , mortuo similior est , quâm
viventi , verè miser & miserabilis , & cœcus , &
E mudus,

(a) Psal. 15.

nudus, & pauper. - In pauperrima ipsius domo nullus virtutum commeatus, nulla meritorum collectio, nullus gratiarum affluxus; merum ubique vacuum, mera egestas. - Ad hæc dictamina sibimet consingit prorsus inania & fallacia, quibus miserrimè quidem, sed non invitus decipitur. *Sic passim hodie vivitur*, ait ille, *sic & alii faciunt*: nolim ego vias singulares: ab sit a me scrupulosa vivendi methodus: ecce onera nova mihi met imponam? ad hæc vel illa non teneor &c. Sed hæc ipsa tua dictamina satiis demonstrant, inolitum teponem apud te stabulari, & magnum quid abesse, Christi videlicet charitatem, spiritum ac fervorem statui tuo excello consentaneum. Quid ergo mirum, Sacerdos miser & miserabilis, si nulla in te operum plenitudo, sed nudissima egestatis miseria sedem fixit?

Miseria 2. Non modò veris divitiis caret Sacerdos tepidus, sed & grandium debitorum molem coacervat. Debita debitum quotidie cumulat infelix. - Tot sacrificia luride præcipitata, tot preces negligenter dictæ, tot bona omissa, tot horæ deperditæ, tot animæ neglectæ quid nisi debita sunt, quorum terribili pondere pressus emergendi non habet facultatem, quia Christo Regi fideliter famulandi non habet voluntatem. - Ad immensa peccatorum debita ferrei compedes malarum consuetudinum accedunt, & portæ æreæ teporis inveterati. Ista quis

quis confringet? illos quis disrumpet? num Sacerdos miser & imbecillus? an rarum aliquod gratiae prodigium? an ætas longæva? num ipsa denique mors, quæ omnia frangit? franget illa utique hos nexus, sed non nisi ut in duriores ac sempiternos commutentur. Aut fortè insignis gratiae prodigium illi obventurum existimabimus, qui per totum vitæ tempus petulanter ac protervè jocari cum DEO consuevit? obtinget illud fortassis grandi inter laicos peccatori: Sacerdoti tepido non obveniet.

Miseria 3. In labyrintho inextricabilium rationum deprehensus hæret Sacerdos tepidus; nam (*a*) *cui plus datum est, plus requiriatur ab eo:* Et, (*b*) cùm augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. -- Maxima & innumera sunt, quæ Sacerdos accepit: ergo & in immensum rationes illius excrescunt. Numeremus hæc DEI dona, si possumus: regalis Sacerdotii gloria, potestas ordinis, potestas clavium, corpus Dominicum, sacrificium Altaris maximum, Christi sanguinis per Sacraenta dispensatio, sanctum Evangelium, gratiae internæ & externæ: scientia Sacerdotalis, intellectus, vita, valetudo, vires, sustentatio, horæ nobilissimæ &c. Dona hæc sunt uti numerô plurima, ita pretiô inæstimabilia. At cùm augentur dona, rationes etiam crescunt

(*a*) *Luc 12, 48.* (*b*) *S. Greg. hom. 2.*
in Evang.

cunt donorum. - - Quid igitur respondebit tepidus Sacerdos, cùm venerit ad judicandum Dominus ? Accusabit illum Divina Omnipotentia , quam petulanter contemnit : accusabit infinita Sapientia , cui protervè illudit ; accusabit Divina Bonitas , quam neglitit ; Divina Majestas , quam vilipendit ; Divina Sanctitas , cui adversatur; Divina Patientia , quam fatigat. - - Status præ cæteris sublimior , finis nobilior , obligatio major , cognitio amplior , mediorum affluentia & efficacia opulentior , quām implexas , & inextricabiles reddent Sacerdotis gravissimas rationes ! - - Omnium terribilissimum est fulmen , quod his verbis intentat S. Joannes Chrysostomus : (a) „ Unusquisque Christianorum pro peccato „ suo reddit rationem ; Sacerdotes autem „ non solum pro suis , sed pro omnium pec „ catis reddituri sunt rationem. En tepide Sacerdos , quām portentosa hinc consurgat rationum tuarum moles ! non tua solum , quæ sine numero sunt , sed & gregis tui , & animarum tibi creditarum peccata portabis , quia horum gravitatem non exaggerâsti , quia horrorem non inculcâsti , quia vitæ melioris exemplis non ædificâsti , sed abominando tempore ad similem tempore induxisti. Serva nos , misericordissime DEus , à tanta miseria ! hanc gratia

(a) Hom. 39. in imperfectis.


gratia tua succurrente arcere nos tota vi-
rium contentionе allaborabimus.

Miseria 4. Thesaurizat sibi iram in die
iræ tepidus Sacerdos : congregat sibi me-
tuendum thesaurum furoris Domini : heu
qualem thesaurum ! non quo dives fiat, sed
ad egestatis turpissimæ centrum detruda-
tur. - - Vitiorum in anima Sacerdotis te-
pidi foeda colluvies ; peccatorum alieno-
rum maximè horrenda congeries, rationum
tantopere implexarum labyrinthus quid
tandem parturiet nisi fuorem Domini pror-
sus implacabilem ? - - Ubi simpliciter pec-
cat homo laicus , ibi dupliciter , imò &
multipliciter peccat Sacerdos , multipliciter
quoque puniendus , ubi pœna simplici ho-
mo sæcularis castigatur. - - Graviora sunt
delicta filiorum & amicorum singulariter
dilectorum , quām juratorum hostium ;
quare & sentiuntur acerbius , & suppliciis
majoribus vindicantur. - (a) „ In omni-
„ bus judicantur omnes , ait Chrysosto-
„ mus ; sed major cognitio fit materia pœ-
„ næ majoris : Unde Sacerdos cum populo
„ peccans multò graviora patietur tormen-
„ ta. - - Tepor in homine laico peccatum
est ; in Sacerdote crimen abominandum. --
Scandalum præbens laicus meretur , ut
suspendatur mola asinaria in collo ejus , &
demergatur in profundum maris : Quid
verò Sacerdos merebitur scandalum ponens

integræ communitati ? - . Dubium non est, ait scriptor celebris, quin profundissimè descendat in infernum Sacerdos obligationibus suis non satisfaciens : nam quò altior gradus, eò profundior casus. - . Sanè non effugiet inferni pœnas in profundo abyssi, sub omnium laicorum pedibus, Sacerdos teporis confirmati reus, quo solo nomine tum sibi, tum aliis nocumenta infert multò gravissima.

Quis horror, quæ miseria, vel periculum remotum adiisse hujus nigerrimæ infelicitatis! - Et quoties incautus adivi? - . Pedem refero, mi DEus! Hanc pestem fugio: Tibi adhæreo. - . O quàm glriosus est in divitiis suis Sacerdos fidelis! Quàm miserabilis in egestate sua Sacerdos infidelis!

Actus ulteriores horroris, desiderii, doloris & propositi in silentio continuantur, siveque reflexio seria, quousque forsitan apud nos jam irrese- rint seporis miserrima initia, præsertim in precibus persolvendis.



DIES

DIES SECUNDA.

Consideratio III.

Sacerdos fervens & tepidus animarum curam gerentes observantur, & discriminantur.

Divinæ gloriæ, ac salutis animarum zelô sanctè flagrat Sacerdos bonus: friget utrinque Sacerdos tepidus. Primi beatos ardores, dein secundi miserrimos algores inspiciamus.

Punctum I.

Sacerdotis boni zelus ardens consideratur.

Reputans secum ipso Sacerdos bonus, quantum DEO suo debeat, sive ut creatura, sive ut homo, & quam maximè ut Sacerdos, Divinæ gloriæ zelum identidem in se suscitat. Dumque considerat Aulicos terrenos Principi alacriter famulantes, & illius honori ubique consulentes, nobilissimum ignem concipit, quo pulcherrimè flagrat. Cum vero intelligit, Divinis honoribus consulere se aliter non

E4 posse,

posse, nisi animarum salutem procurando, *primo* quidem cognoscere studet, quanti sit anima hominis: *Secundo*, quanti steterit: *Tertio*, qualis æternūm sit futura: *Quarto*, quid Christus laborū ac dolorū pro anima suscep-
rit? sic ergo secum servens Sacerdos: hominis anima DEI mei perfectissima in terris ima-
go est, substantia spiritualis, rationalis &
immortalis, in qua Divinæ perfectiones
maximè reluent: Præstantissimum Verbi
DEI opus, in quod omne ejus studium
confertur. JESU Christi sanguis illius
preium est, tantumque valet, quantum
DEUS Incarnatus. Dein hominis anima
vel æternūm beata erit cum DEO suo, si
salutem obtineat, vel infelicissima, si pereat.
Et quid non præsttit in bonum animæ meæ
piissimus Redemptor? (a) *Dilexit me, &*
tradidit semetipsum pro me. Quid igitur
retribuam Domino? Nesciat limites gratus
animus! Dare quidem nil possum; sed
animas dilectas, tanto salvatas pretiō juvare
possum: nulli ergo tanta in re parcendum
labori.

His luminibus instructus quid non agit
Sacerdos servens? Continuo secum reputat
gregis sui necessitates. In hac domo, in-
quit, magnum frigus habitat, quod pellen-
dum: In ædibus illis scandala sunt, quibus
obnitendum: ibi dissidia, quibus succurren-
dum: alibi pericula, quibus obviandum.

Ad

(a) Gal. 2, 20.

Ad rem Divinam illi adultiores urgendi : ad doctrinæ Christianæ frequentationem juniores aptè compellendi , scholæ visitandæ &c. Rationes dein secundum init , ac vias optimas disquirit , ut medicinam afferre malis omnibus possit , manūmque operi strenuè admovet. - - Agit per semetipsum , quantum potest , & quantum sacerdotalis prudentia permittit : Instruit & exhortatur publicè ac privatim , paternè admonet , instat , urget , obsecrat in omni patientia & doctrina. - - Plurimum desudat in sacro tribunali , ubi & plurimum prodest. Aliàs monet superiores , DEum ferventer orat , sese humiliat , ubi difficultates occurrunt , quibus superandis par esse non potest. Quòd si verò incasum subin recidant omnia , dolet , gemit , affligitur , & reparare factas DEO injurias pro viribus satagit , non ignarus , quid olim Propheta de sanctis Ecclesiæ temporibus sit vaticinatus : (a) *Inter vestibulum & Altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini , & dicent , parce Domine , parce populo tuo !* - - Correctio autem cùm adhibenda est , vinum oleo miscet , animūmque paternum moderatæ severitati comitem adjungit. Stat firmus contra vitia tanquam piè severus Pater , dum errantes tenerè diligit ut Mater : Amat , quos increpat ; solicite fovet , quorum vulnera tractat.

E 5

Ut

(a) Joël. 2.

Ut paucis complectamur omnia 1. Zelo flagrat puro , & à propriis commodis alieno: non sibi laborat , sed Domino suo , cui animas lucrari satagit. 2. Zelo ardet simplici , sine acceptione personarum: animas quærit ; hinc tanti apud ipsum est anima pauperis, ac divitis. Quòd si tamen discrimen aliquod subinde faciendum , animabus maximè indigis primò succurrit. 3. Zelo utitur discreto & prudente : tempori servit, loco & personis, quibus aptare se novit, ut amplius fructificet : Silet quandoque ad tempus , ut opportuniùs paulò post loquatur : cedit suaviter ac dissimulat , cùm opus est , ut efficaciùs postmodum agat : fit omnibus omnia , ut omnes faciat salvos. 4. Zelô agitur forti , generoso , indefesso , & murum se opponit pro Domo DEI. Quoscunque bolos , rusticitates, ingratitudines heroicè concoquit : tepidorum acerbas crises sustinet invictus : labores etiam maximos athleticè tolerat. - - Ut autem cum fructu laboret , semetipsum primò & præ omnibus curat : propriæ perfectioni constanter invigilat : sanctæ cum DEO conjunctioni perpetuò studet, bene gnarus, nihil posse instrumentum, nisi artificis manui probè aptatum.

Aliud non minimum zeli Sacerdotalis Argumentum breviter adhuc inspicere lubet. Adeamus templum, quod curæ boni Pastoris subest , & videbimus signum aliud fervoris

ac

ac zeli manifestum, quod illis Prophetæ
verbis continetur : (a) *Domine, dilexi de-*
corem Domus tuae! Templi ergo nitorem &
convenientem ornatum cordi semper habet
pii Sacerdotis zelus: mavult ipsemet carere,
quam ut DEI domus egeat: de suo necessa-
ria curat, ubi sufficientes redditus illa non
habet. Sacræ supellec̄tilis munditiem ante
omnia studiosè curat: fôrdes & inqua-
menta neque in animabus sibi creditis, ne-
que in templo suo unquam dissimulat. Talis
est Sacerdotis boni zelus nobilissimus.

Punctum II.

Sacerdotis tepidi zelus aut nullus,
aut præposterus.

EDiametro contrarius est Sacerdoti servi-
do Sacerdos tepidus: intelligere nec
vult, nec curat animarum pretium, no-
bilitatem, æternam sortem, susceptos il-
larum causâ immensos à DEI Filio labores,
atque hinc torpore infelici languet. (b)
Quæ sua sunt, quarit, non quæ Iesu Christi.
Sive igitur in grege Dominico sint oves in-
firmæ, morbidæ, macilentæ, sive non sint,
parum id curat Sacerdos mercenarius, non
pastor: seu lupus rapiat oves, seu non ra-
piat, modicūm ille angitur. - - Ulterius
Verbi

(a) *Psal. 83.* (b) *Phil. 2, 21.*

Verbi Divini pabulum vel non distribuit , aut malè distribuit, sine præparatione, sine fervore , sine unctione : Quare nec docet, nec movet ; sed aërem verberat , est velut (*a*) *as sonans*, aut *cimbalum tinniens* , quia charitatem non habet. - - Catecheses quoque malè instituit , & facile omittit : seu veniant ad eas parvuli, seu non veniant ; sive discant necessaria, sive non discant, perinde ipsi est. - Si quid supererogatorium in animarum cura subin agendum esset, rejicit illud Sacerdos tepidus : Ad ista non obligor , ait, viderint illi, quorum interest : nihil innovandum , nihil successoribus præjudicandum : non admittit magnos labores tenue beneficium : satis prædico , & viam ostendo ; si quis fructum hinc facere nolit , parum ad me. Heu ! qualis hic zelus ? Quām sordidus hic cum DEO , cum JEsu Christo , cum Ecclesia mercandi modus ! Quasi verò modum aut mensuram habere posset , vel deberet Pastorialis , & Sacerdotalis zelus : Quasi verò non teneretur Pastor omni meliori modo gregi prodeesse : Quasi verò nimium quid fieri posset , ubi de JEsu Christi gloria , & animarum salute agitur ! - - Illis Pastoribus annumeratur Sacerdos tepidus , quos levè increpat Ezechiel Propheta : (*b*) *Va Pastoribus Israël , qui pascebant semetipso*s ! *Quod infirmum fuit , non consolidâstis , & quod agrotum , non sanâstis : quod confractum est , non alli-*

(*a*) *I. Cor. 13.* (*b*) *c. 34.*

alligastis, & quod abjectum est, non reduxistis,
& quod perierat, non quæsistis; sed cum au-
steritate imperabatis eis & cum potentia: Et di-
spersæ sunt oves meæ, eò quod non esset Pastor,
& factæ sunt in devorationem omnium bestiarum
agri, & dispersæ sunt. - - Speculatores ejus cœci
omnes, ait de hujusmodi Sacerdotibus Isaías,
(a) Nescierunt universi: Canes muti, non va-
lentes latrare; videntes vana, dormientes & aman-
tes somnia.


Si denique zelum etiam nonnullum habeat
Sacerdos tepidus, ut plurimùm præposte-
rus erit: zelo utetur amaro, indiscreto,
impetuoso, non secundùm scientiam, non
secundùm charitatem. Tonabit è cathedra:
strepitabit cum sonitu adversum scelera, nul-
lum tamen horum emendabit, quia percutit,
sed non sanat: Vulnerat quidem, sed vulne-
ra neque fovet, neque alligat.

Cæterùm utinam non essent & alii sive
in Clero sæculari, sive in regulari Sacerdotes
quàm plurimi, quos parum tangit desolatus
Ecclesiæ status! Mille peccata committun-
tur in publico, & centum millia in occulto,
ridebunt interim illi, & cuticulam cura-
bunt, parum solicii de graviter læsa Numi-
nis gloria, de animarum strage, de orbi-
tate lugentis Ecclesiæ. Unde verò desola-
tio tanta? Unde frigus illætabile? Salutem
propriam videlicet non curat Sacerdos te-
pidus: quomodo alienam curabit? Qui
sibi

(a)c. 46. 10.

sibi nequam , cui bonus? Nulla apud ipsum
sacra meditatio , hinc nulla JESU Christi
notitia , nullus amor , nulla aestimatio , nul-
lus fervor.

Cum verò sordes in anima propria diffi-
mulet , quomodo decorem Domus DEI
curæ habebit ? Vel ex inspecto ejus tem-
plo zeli expertem ac tepidum deprehende-
mus. Videbimus Sacram supellectilem ma-
lè ordinatam, paramenta lacera & obsoleta,
linteamina sacra immunda , utinam non
fordida sœpe ac semiputrida ! Videbimus
cum stomacho in Domo DEI pulveres ,
sordes , aranearum telas , paedorem &
squalorem. Templi paupertatem obten-
det equidem : verū studiō ignorare cu-
pit , quid hac in parte agant ferventiores.
Ipse piaculo duceret vel obolum de suo in
sacra expendere , liberalis cæteroquin ve-
stiarii proprii , mensæ propriæ , cellæ vina-
riæ , ac similiūm curator. Vah quanta
rursum inter Sacerdotem utrumque diversi-
tas ! Quantus hinc zeli Sacerdotalis
ardor ! Quām torpidus illinc &
mœstus algor !



ME.

MEDITATIO III.

*Sacerdos fervens potens in opere
& sermone. Luc. 24. Lucerna ardens & lucens Joan.
§. Sacerdos tepidus, infirmus & imbecillus. I. Cor.
II. Caligo & tenebrae. Act. 13.*

Praelud. 1. Sacerdotem ferventem contemplamur ceu beneficium sidus, quod influxu benigno & efficaci terris mirificè prodest. Contrà Sacerdotem tepidum intuemur velut basiliscum, pestiferi teporis & mali exempli venenô turgidum, valdèque perniciosum.

Praelud. 2. Divine Spiritus ! da intelligere Sacerdotis boni miras utilitates, quibus toti mundo prodest : da simul capere ingentia damna, quibus Sacerdos malus rempublicam mactat & afflit, ut primi vestigia legam ; secundi horridos excessus devitem.

Potens in opere & sermone est Sacerdos fervens ; potens precibus ; potens vitæ exemplo : atque hinc ubique prodest : vita corrigit, mores emendat, virtutes inficit, animas lucrat, coelum exhilarat, Ecclesiam recreat, ingentem DEO gloriam conciliat. Inde quadruplex emolumentum nascitur, quod sollicitè inspiciendum.

Pun.

Punctum I.

*Emolumen^mum quadruplex , quo
toti mundo potenter succurrit pius Sacerdos.*

Emolumentum 1. Sibi primò ac præ cæteris prodest Sacerdos bonus. Nam diligenti DEum omnia cooperantur in bonum. Quidquid cogitat , quidquid loquitur, quidquid agit & desiderat , fructum vitæ æternæ primò quidem sibi , dein & aliis pretiosè germinat. - - Qua mensura DEI gloriam promovet , animásque juvat , eâdem & sibi prodest. Illud planè mirum , & certum , quòd ipsa quoque peccata sua illi profint , unde semper redditur humilior , cautor , atque ferventior. Hinc perpetua animi serenitas , pax imperturbabilis , robur invictum.

Emolumentum 2. Prodest gregi suo , prodest mirificè charis oviculis Sacerdos fervens , utpote quas ipse amat , & à quibus vicissim amatur. Prodest illis verbō : prodest exemplō , precum suffragiō , fideli præsidiō , impenso labore ac solatio. - - Grem sub ejus cura vegetum & sanum nemo absque singulari animi voluptate inspiciat. Puerorum & puellarum in templis præser- tim modestia , juniorum reverentia , seniorum Christiana pietas , virginum verecun- dia , mulierum tenera in res sacras propen- sio

sio abunde nobis loquetur, quali gaudeant Pastore. - - Quis cum solatio non videat ætatis teneræ in rebus fidei exponendis dexteritatem, adultorum in Sacramentis frequentandis sedulitatem, in confessione sacra peragenda exactam methodum, omniumque in rebus Divinis plenam reverentiâ pietatem? Unde verò hæc vineæ florentis ubertas? Unde tam latus gregis Dominici aspectus? Sacerdos fervens, potens in opere & sermone, cœlesti benedictione corroboratus facit, ut DEI Mandata sanctè à suis custodiantur, flagella quævis arceantur, & ager Dominicus fervore Sacerdotali cultus fructum sexagesimum, nonagesimum, imò & centesimum afferat. Noli timere, Sacerdos sancte! (a) *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit Tabernaculo tuo.* - - Non te tuosque vastabit inimica grando: non ferient bellorum incursum: non depascet ærugo vel tinea: propter te benedicet Dominus populo suo in pace: propter te agris benedicet ac jumentis.

Emolumenutum 3. Prodest toti Ecclesiæ, quam fulcit ut columna: quam virtutum & doctrinæ radiis illuminat, labore indefesso auget, ac filiorum cœlesti progenie fœcundatam lætificat. - - Sacerdotes boni quantum omni tempore profuerunt! Quò loco essent res tuæ, chara Germania, di-

F lecta

(a) *Psal. 90.*

Iecta patria ! nisi sanctum Evangelii lumen
 Sacerdotes fervidi, Bonifacius, Rupertus,
 Gallus, Magnus, Fridolinus labore Apo-
 stolico tibi attulissent ? Vos, Sacerdotes
 sancti, veteres harum regionum nostrarum
 incolas feroce, rudes, barbaros cicurastis,
 in agnos commutastis, IESU Christo adduxi-
 stis ! Nulli parcentes labori, nulla barbarie
 absterriti hasce Provincias, unaque nos
 omnes suavi Christi jugo subdidistis ! Quid,
 amabò, futurum fuisset, si quis vestrūm
 privatis potius commodis servire, quām Ec-
 clesiæ totius utilitati prospicere voluisset ?
 Quot animarum millia fuissent peritura, quæ
 nunc fervor vester cœlo æternūm asseruit ?
 Quo loco essent res nostræ, si cui vestrūm
 decantata illa tepidorum nænia in mentem
 venisset : non obligor ad tanta itinera, ad
 labores tantos, ac molestias circa hos barba-
 ros exhauriendas !

Emolumentum 4. Prodest toti mundo,
 totique cœlo Sacerdos fervens, verè Pater
 ac deliciæ generis humani, benefici solis
 instar vivificans omnia, mundum velut
 alter Noë servans ab interitu, cum quo
 grande Salvatoris nomen partiri Salvator
 ipse non dedignatur. - - Lætis animarum
 manipulis cœlum quoque exhilarat, & su-
 pernis civibus auget. - - Soli duodecim
 Apostoli nunquid non Orbem universum
 IESU Christo subjecerunt ? Singuli Regnis
 & Provinciis erudiendis suffecerunt. Quid

si tepidi ac desides movere se noluissent ?
Quàm funesta modò esset Orbis terrarum
facies ? Si hodie dum ferventes deficerent
Sacerdotum curæ, quò infelicitatis Christia-
nam rem publicam delabi oporteret?

Pun&um II.

*Grave nocumentum quadruplex,
quo toti mundo plurimum obest Sacerdos
tepidus.*

Grave nocumentum 1. Damnis tum positi-
vis, tum negativis primò seipsum ju-
gulat. Immensis divitiis, omni glo-
ria, omni ornatu, pace animi, beata cum
Domino suo consuetudine seipsum miserrimè
privat. - - Accedunt damna positiva, qui-
bus sortem suam omnem pessumdat. - -
Quot negligentias admittit, tot vulnera
sibimet infligit : tempore suo confirmato
animæ facultates singulas gravissimè affli-
git: morbos totidem inveteratos, quot malas
consuetudines numerat. Quare infirmus ad-
modum & imbecillis nihil efficit : apud
DEum nihil potest ; quid enim possit, qui
Omnipotenti est contrarius ? - - Apud pro-
ximum quid poterit infirmus verbô, quin &
perniciosus exemplô ?

- Nocumentum grave 2. Gregi Dominico ve-
hementer nocet Sacerdos tepidus. Quid
causæ,

causæ, obsecro, quod pressus gravi peccatorum jugo luctum induat miser populus, & flagellis conteratur? Cur Virgines ejus squallidæ, & dispersi lapides Sanctuarii? Cur admodum rara in juvenibus innocentia, ætatem superans in pueris malitia: vicinos inter lites & jurgia, fraudes & usuræ, luxuria, injustitiæ, dirum frigus, vix ulla pietas? tot malorum causam tenemus Sacerdotem tepidum. Hic si ferveret, minuerentur in populo scelera & flagitia: sublatis porro criminum monstris refloresceret Christiana pietas: hac restitutâ cessarent calamitates publicæ, rediréntque læta ubique serenitas, abundantia pacis, & universa benedictio. - - Dicemus intrepidè, Sacerdotem tepidum omnis infelicitatis funestam originem esse. Hinc grandines, sterilitates, bellorum vastationes, quibus infelices oculæ, mali Pastoris vitiô, affliguntur. Sequimur hic magnum Gregorium, cujus hæc sunt gravissima verba: (a) „Quantò mundus gladiô feriatur, aspicitis: quibus quotidie percussionibus populus intereat, vivi detis. Cujus hoc nisi nostro Sacerdotum peccatô agitur? Et alibi: (b) dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaris viribus sociamus, & culpa nostra gladios hostium exacuit, qui vires Reipublicæ gravant. - - Profecto cùm te-
pet

(a) *Hom. 17, in Evang.* (b) *I. 4. Ep. 32.*

pet Sacerdos, tepet pariter & populus: cùm dormitat Pastor, facilè disperguntur oves. - - Gregem luridum, macilentum, morbidum ubi videris, dic audacter, malum huic præesse Pastorem. Sic ubi deprehenderis magnam ruditatem, fidem languidam, vix ullam in templis reverentiam, petulantem & garrulam pueritiam, immodestam juventutem, expertes Christiani fervoris adultiores, securè omnino istud judicium feres: Hic præst Sacerdos tepidus: hic flagella & calamitates publicæ diu exesse non poterunt.

Nocumentum grave 3. Toti Ecclesiæ nocet tepidus Sacerdos, cùm sanctæ Matris Filios ad interitum properare turmatim sinit: Dum vitæ negligentis exemplō & alios in eodem secum tempore detinet: dum impedit, ne fructificet Christi sanguis: cùm dæmonem grassari liberè permittit. Quare Ecclesiam non solū ornamenti, solatiō, & fructuum ubertate privat, sed & crudeliter persequitur tanquam hostis internecinus. - - Quis, amabò, facit, ut sanctam Matrem contemnant Hæretici, vilipendant Catholici, & ludibrio habeant Pseudopolitici? Cur sua non amplius manet rebus sacratissimis æstimatio ac reverentia: non amplius sua sanctis ceremoniis gravitas; non suus Divino sacrificio honor; & cur ipsum adeò Sacerdotium redditur contemptibile? Sacerdos tepidus omnia dehonestat, suóque infando tempore

F 3

turpiter

turpiter commaculat. Verissimè igitur de-
nuo magnus Gregorius : (a) „ Nullum pū-
„ to ab aliis hominibus majus præjudicium,
„ quām à Sacerdotibus tolerat D̄Eus, quan-
„ do eos, quos ad aliorum correctionem
„ posuit, dare de se exempla pravitatis
„ cernit; quando ipsi peccamus, qui pecca-
„ ta aliorum compescere debuimus.

Nocumentum grave 4. Universum terrarum
orbem, cœlumque ipsum præteritîs sæculis
miserrimè vastârunt Sacerdotes tepidi, &
hodie dum immensis cladibus utrumque af-
ficiunt. - - Sacerdos tepidus fuit Lutherus,
& ex tepido sceleratus: Sacerdos luridus
fuit Calvinus, in profundum malorum sen-
sim delapsus: tepidi ac luridi Sacerdotes
erant Hæresiarchæ ultimorum temporum
plerique omnes, Hussius, Wicleffus,
Zwinglius, Molinosius, Quesnellus, alii.
Tepidi ac luridi Sacerdotes erant Hære-
siarchæ primorum temporum, qui mundum
subverterunt: tales fuere Vigilantius, Arius,
Nestorius, Pelagius, Eutyches, Donatus,
Dioscorus, alii magnô numerô. Hæ Sa-
cerdotum pestes quibus errorum monstris
terras opplevere? Quot animarum myria-
des perdidere? Quas vitiorum fortes abo-
minandas invexere? - - Heu! tepidi luridi-
que Sacerdotes quantis stragibus Germa-
niam nostram afflixere! Hi Sueciam totam,
Daniam, Norwegiam, Saxoniam, Prus-
siam,

(a) *Hom. 17. in Luc. 10.*

fiam , Pomeraniam , Belgium , Helvetiam , Franconiam , Sueviam nostram , vel ex toto , vel magnam partem infeliciter pessumde-dere . Quis absque summo animi mœrore videat tot Episcopatus extintos , tot mo-nasteria subversa , tot profanata templa , Regna integra & Provincias Hæresum dira caligine obvolutas ? Poslitne igitur sub sole inveniri aliquid pestilentius tepido Sacer-dote ?

Tepor infauste ! quām turpiter hucus-que maculâsti omnia ! Sacerdotes tepidi non adeò multi quantas in Orbe strages edide-runt , & quantum porro nocebunt ! - Beatissime fervor , bonorum omnium fons inex-haustus , quas tibi laudes dicamus ! Sacerdo-tes fervidi , terrarum Principes , cœli be-nigna sidera , quantum vobis debemus ! - - En ! bona maxima per Sacerdotes , & mala quoque per Sacerdotes maxima mundo haec tenus obvenêre . - - Quid nunc ego ? Quorum numerum augere velim ? - - Tu , Domine , viam iniquitatis , viam teporis longè fac à me ! Utinam teterimæ pestis initia nunquam admisisssem ! - - Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ !

Pergitur tantisper in exercitio voluntatis cum reflexione seria , quantum fors ego nocuerim haec-tenus in domo DEI ? Quid imposterum agere velim ? Quæ media mihi sint adhibenda ? Colloquium deni-que ad Christum .

CONSIDERATIO IV.

Sacerdos fervens ac tepidus conversantes discernuntur.

Sacerdotis boni conversatio sancte hilaris, ædificatione ac Spiritu Iesu Christi plena fructus facit amplissimos: Sacerdotis tepidi conversatio vana, inutilis ac munda; haud raro scandalosa maximas edere strages consuevit: utramque sedulo examinemus.

Punctum I.

Sacerdotis boni conversatio sancta inspicitur.

Minime tetricus aut morosus est in conversatione Sacerdos fervens: gravitati Sacerdotali sanctam hilaritatem ita contemperare novit, ut omnibus sit acceptus, gravis nemini. Animi de seipso demissè sentientis modestia, aliorum sincera aestimatio, charitas non ficta, sermo minime fucatus, nulla in verbis contentio faciunt, ut ubique sit gratus: facilè cedit omnibus, laedit neminem homo DEI mansuetus, mitis, ad obsequendum aliis semper

per paratus. - - Agens cum Sacerdotibus in vinea Domini sociis, profutura loquitur & vocationis sublimitati consentanea ; modò de Verbi Divini prædicatione , modò de causaum conscientiæ practica resolutione , de morum emendatione , de historia Ecclesiastica , & aliis hujusmodi , quibus vel DEI honor proferatur , vel animarum bono consulatur , vel animus piè exhilaretur. Quin & de sœcularibus negotiis , de rebus indiferentibus , vel domesticis non minus aptè quam sanctè suis temporibus differere novit. - - Agens cum sœcularibus verbum salutis in ore semper gerit , loquens de Regno DEI : modesta gravitate , paterno animo , sincera suavitate omnium sibi devicit animos , fitque JESU Christi bonus odor in omni loco , & apud omnes. Hunc Dominum suum totus induere satagit , cuius in mundo conversantis magnum exemplar imitandum sibi proponit : DEI servum ac dispensatorem ubique se profitetur, (a) *Non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum : Sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est. fidelem sermonem.* Conversatio sancta ! Quoniam non potest mirificè non prodesse ! Quoniam ornat statūs nostri celsitudinem ! Quoniam insigniter DEI servum Sacerdotem commendat.

F 5

Pun-

(a) ad Tit. I.

Punctum II.

*Sacerdotis tepidi conversatio
mundana consideratur.*

Spiritum Christi non habet Sacerdos tepidus, quare carnem & mundum, non spiritum sapit illius conversatio: verbum sanum & irreprehensibile vix unquam in ore ipsius reperias. Nugatur, jocatur, in cachinnos solvitur, totus ad exteriora diffunditur, parum memor, quid dicat Bernardus: (a) *Nugæ inter sacerdotes sunt nugæ, in ore autem sacerdotis blasphemia.* -- Vix ullus unquam tepido Sacerdoti de DEO, de Divinis, de salute, vel de vita ritè instituenda sermo: de culina potius, de ciborum condimentis, de vini pretio & sapore singulari facundia differere amabit. Alias miscebit quadrata rotundis: vana, otiosa, inutilia proferet absque modo & mensura: charitatis immemor alios traducet, proscindet, sugillabit, præsertim ferventiores, quorum inculpatos mores tacitam suæ laxitatis correctionem non abs re interpretabitur. -- Inter sacerdotes porro agentem à sacerdibus vix discernas, quin laicorum permultos inveneris ipso meliores, & magis compositos. -- Vix ullam in con-

ver-

(a) l. 2. de Confid. c. 15.

versatione observabit sensuum custodiam : uti linguae , ita & oculis omnem indulget licentiam , quos in objecta quævis non sine periculo , sæpe cum scandalo conjicit. Utinam non effutiret subin talia , quæ statûs sanctitati maximè adversantur ! Utinam sibi & aliis animæ vulnera nimium profunda quandoque non infligeret ! - . Sed qualem denique auctoritatem sibi conciliabit sedens in popinis , præsertim ubi potus liberalior aut linguam , aut mentem nonnihil læserit ? Quem fructum ferent illius verba è pulpito , ubi paulò priùs excefferit in vino ? Quomodo prodesse poterit , qui ab iis meritò vilipenditur , quibus prodesse deberet ? - . Heu quām indigna Sacerdote conversatio , quæ inter pocula , in loco publico , inter compotantes laicos instituitur ! Qalis hinc sanctissimi statûs æstimatio ; imò quale opprobrium ! Sacerdos fervens , nî vehe- menter fallor , temporis fallendi , potûs , aut conversationis gratiâ nunquam profecto adibit popinas ; sed has cane pejus & angue aversabitur.

Quantum nunc discrimin inter utramque conversationem ! Prodest mirificè una , gravissimè nocet altera : ædificat prior , destruit posterior : sanat illa , & recreat ; occidit ista & vulnerat : ornat una & extollit statûs sanctissimi dignitatem , quam altera deprimit & ludibrio exponit. Simus nos , Domine , semper Filii tui bonus Odor , ut

con-

conversatio nostra sit Apostolica , veréque Sacerdotalis , in ædificationem , non in destructionem ! Amen.

MEDITATIO IV.

Sacerdos fervens rectus corde.

Psal. 31. Verus Israëlite , in quo dolus non est.

Joan. 1. • Sacerdos tepidus , hypocrita , scriba , Pharisæus , sepulchrum dealbatum.

Matth. 23.

Pralud. 1. Effingitur hinc in animo Sacerdotis pii ac ferventis species , quām fieri queat formosissima , sub schemate palmae florentis , lili carentis , rosæ vernantis , serenissimi solis , aut templi ad omnem decorem splendide compositi : Effingitur istinc sepulchri dealbati species , quod intus omni horrore , fanie ac fœtore est plenum.

Pralud. 2. Fili Virginis speciose formâ , omnis rectitudinis norma , sanctique decoris principium ! Da intelligere & intellendo quærere tibi placentem statûs nostri pulchritudinem.

Punctum I.

*Sacerdotis boni decor quadruplex
leotissimæ pulchritudinis.*

Decor 1. Sacerdos rectus corde (a) germinabit sicut lilyum. Volens proponere Servator eximiæ pulchritudinis symbolum , (a) Osee 14. 6. lilia

lilia designavit : (a) Considerate lilia agri -- Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut unum ex istis. Non tortuosa, non curva, sed recta exurgunt lilia, majestate non minus quam decore amoenissimo conspicua. -- En hic symbolum Sacerdotis boni ! candida illi mens erga DEum & Superos ; candida quoque erga proximos. Qualis exterius, talis & interius, absque fuko, sine assentatione, procul a saeculari astutia : simplicitas illi columbina cœlesti prudentiae juncta : semitæ ipsius rectæ ; (b) Nam justum deduxit Dominus per vias rectas : Recta illius cogitatio, sermo rectus, recta consilia & justa sunt opera ; rectissimo enim Domini spiritu reguntur universa : nihil hic distortum, & curvum nihil ; sed plena venustatis singula, quia summae rectitudini consentanea.

Decor 2. Sacerdos fervens (c) quasi flos rosarum in diebus vernis. Amoenissime rubet pretiosa IESU Christi charitate, quæ omnium electorum, præcipue verò Sacerdotum minime dubia, & maximè illustris nota est. Pulchre sic rubuit, qui dixit : *Charitas Christi urget nos.* Tolle beatam hanc charitatem, & omnem cœli terræque pulchritudinem uno quasi ictu sustuleris : sine hac non rutilabit amplius præfulgens Apostolorum chorus, evanescet Prophetarum laudabilis numerus,

(a) Matth. 6. 28. 29. (b) Sap. 10. (c)
Eccli sc. 8.

merus , candidatus Martyrum disperebit exercitus , & omnis Ecclesiæ decor simul peribit. - - Hæc purpura tua , Sacerdos Altissimi , qua splendide indueris : hæc pulchritudo tua lectissima , JESUM diligere , quam nec tempus absunit , nec tinea demolitur ; dignissima sanè , quæ Regis æterni palatiis perpetuò asseratur.

Decor 3. Splendet formosus ut sol Sacerdos noster ; namque (a) fulgebunt justi sicut sol in conspectu Dei. - - Absque sole illuminante mortua est omnis pulchritudo : absente hoc siderum principe nullus est florum decor , nulla hortorum amoena , nullus auri & gemmarum splendor. Ut primùm verò adfuerit , reviviscit omnis pulchritudo : rident mox horti , rutilant prata , respirant agri , lætitiam & decorem induunt universa. - - At pii Sacerdotis animus cœlesti sapientiâ instructus sole speciosior est. Quanta hic lucis amoenissimæ pulchritudo vel ex hoc solùm , quòd eminentem JESU Christi scientiam possidet ut propriam , qua unicè gloriaratur gentium Doctor. Quantus verò hinc consurgit vivæ Fidei decor & majestas , quæ sibi aliisque illuminandis abunde sufficiat ! lucida ergo ipsius conscientia , lucidæ animi facultates , lucidæ actiones : sed & sermo lucidus , vitæque tenor mirabiliter omnes illuminans , qui ad Sacerdotem JESU Christi servum propius acceperint. - - Quin &

(a) Matth. 13. 43.

& solis instar spurcissimas conscientiarum cloacas inoffensus pertransit, nullò aut puri luminis, aut pulchritudinis suæ detrimen-
tō. - - Super altitudines nubium in excelsō ambulans, ad humilia nihilominus se demittit, cùm variam virtutum formam mira fœcunditate inferioribus aspirat, & efformare pulcherrimam JESU Christi speciem in suo-
rum mentibus perpetuò allaborat.

Decor 4. Templum gloriæ Domini est Sacerdos Christi charitate servens. Salomonis illud nobile templum divitiis, magnitudine, structura, pulchritudine inter prima mundi prodigia censemebatur: sed multū eminet Sacerdos bonus super omnem templi hujus admirabilis magnificentiam. JESUS Christus DEUS ac Dominus noster hic perpetuò adoratur: ascendit hinc semper fumus aromatum de manu Angelici Sacerdotis: sacrificia & holocausta hic nunquam deficiunt. - - Structura templi nobilissima est, pro fundamento habens summum lapidem angularem JESUM Christum: Omnis ornatus pretiosissimus, virtutum elegantissimi ordines, maxima Incarnati Verbi mysteria vivis coloribus adumbrata, Filii DEI mores cælaturæ instar ubique expressi templum constituunt foris & intus nitidum, splendore ineffabili ac pulchritudine admiran-
dum.

PUN-

Punctum II.

Sacerdotis tepidi quadruplex deformitas, & monstrosa combinatio.

Deformitas, seu monstrosa combinatio prima externæ alicujus sanctitatis cum interna morum corruptione. Quis sanctum non dicat Sacerdotem quantumvis tepidum, si exteriorius consideretur sacras vestes indutus, ad aram stans, sanctissima quæque proferens, corpus Dominicum manibus tenens, ori admovens & intra se sumens? Quid agi sanctius possit? Verum quia sanctitas interior minimè respondet, hypocrita, scriba, Phariseus, & sepulchrum dealbatum Sacerdos tepidus meritò vocatur. - - Nemo est, in quem mitissimus aliàs Servator acerbiùs invectus, præterquam in scribas & Phariseos, quia mendaces hypocritæ erant: (a) *Vobis scribæ & Pharisei hypocrita!* Homines religiosi videri volebant: Divinæ legis zelum profitebantur, erantque revera invidi, charitatis expertes, avari, dolosi, superbi, DEI Filio per omnia contrarii. Onera gravia populo imponebant, quæ ipsi nec digito attingere sustinebant: festucam in oculo fratris videbant, trabem in proprio non videbant: Filii DEI facta sanctissima fugillabant, nec pati poterant publicos honores, quos illipulus

(a) *Matth. 23.*

pulus ob vitæ integritatem & signorum frequentiam deferebat. Mendacem hanc religionem hominum, nonnullam probitatem exterius profitentium, & ab interiori sanctitate quam maximè alienorum ita oderat veritatis amator Dominus, ut maximos etiam peccatores delicta sua confitentes paternè reciperet; hosce autem simulatores & hypocritas nunquam nisi severè increpitos à se dimitteret. *Cœcos appellabat, & duces cœcorum:* vñ multiplex ipsis intentabat: sepulchra dealbata vocitabat, ut vel ipsa severitas corrigeret, quos nulla benignitas, nulla beneficia, nullaque prodigia emendabant. Sacerdotem tepidum vivis coloribus hic adumbratum videmus. Scriba, Phariseus, hypocrita est, JESU Christo DEI Filio summe exosus, quia diligit vanitatem, & quærerit mendacium. Mentitur hominem spiritualem, cum sit carnalis & sensualis: exteriori quadam specie sanctitatis decipit, cum tamen animum circumferat vitiorum foribus fœdè inquinatum: virtutem verbis commendat, quam factis negat: stans ad aras JESU Christi frater, amicus & minister videri possit, cui tamen per omnia est contrarius: loquens è cathedra sanctæ Legis doctorem se simulat, quam ipse nec amat, nec observat, Phariseus cœcus sibimet blandiens, seipsum palpans, alios contemnens, festucas minimas in oculo fratris videns & trabes prægrandes teporis, desidiæ, avaritiae,

tiæ in oculo proprio non videns. Sed vñ
tibi Sacerdos hypocrita , qui sanctitatem
habitu exteriori mentiris ! Nec DEum, nec
homines decipis : Ille te novit , & isti te
nōrunt ; teipsum verò miserrimè decipis.
Dicis tu equidem : (a) *Dives sum , & locu-*
pletatus , & nullus egeo : Non sum sicut cæte-
ri hominum ; in Sacerdotalis fastigii sublimi-
tate consisto , & nescis , quia tu es miser & mi-
serabilis , & pauper , & cœcus , & nudus. Et
nescis , quia tu es sepulchrum dealbatum,
quo nomine te , tuique similes hypocritas
Magister divinus compellavit. Vah ! se-
pulchrum dealbatum , quod foris quidem
apparet nitidum , sed intus cadaveris putri-
di ac fœtentis spurcitas , vermes , saniem ,
& abominandum horrorem concludit. Po-
testne aliquid esse detestabilius hujusmodi
sepulchro ? Sed potestne aliquid cogitari
monstrosius Sacerdote pharisæo & hypo-
crita ?

Deformitas & monstrosa combinatio secunda
lucis cum tenebris In pleno meridie apertis
oculis nihil videt tepidus Sacerdos , infelix
noctua. Lucidissimo soli expositus vivit ,
nec tamen illuminatur : lucernam manibus
præfert , veritates Evangelicas novit , &
tamen ad singulos passus offendit , cœspitat ,
impingit . - Videt , sentit , experitur quo-
tidiana JESu Christi circa se beneficia , mag-
nitudinem , amabilitatem , prodigia ; &
quasi

(a) *Apoc. 3.*

quasi nec videret, nec sentiret, nihil iis
movetur, saxo durior, belluam ferocior.
In sole meridiano (a) *Via ipsius tenebra & lu-*
bicum, ita ut videns non videat, & intelli-
gens non cognoscat. Pœnales cœcitates
hae sunt juxta magnum Augustinum, quæ
faciunt, ut neque viam suam, neque ter-
minum nōrit, ad quem properat: pœnales
cœcitates nimis metuendæ, quas infaustus
tepor, & mala voluntas parturit. Heu!
non nōsse te, Divina lux: habere te præ-
sentem, nec ullum ex præsentia fructum
capere; sed damnis & æruminis mactari,
quid nisi reprobationis æternæ luctuosum sit
argumentum?

Deformitas, & monstrosa combinatio tertia cibi
Regii cum languore pessimo Comedit Sacerdos
tepidus, & non saturatur: cibus illius op-
timus, & non roboratur. Mensa illius Re-
gia, & panis pinguissimus, unde vitam
abundantius habent genuini Ecclesiæ Filii:
verum ipse quotidie comedens languet, vi-
ribus destituitur; luridus, pallidus & ma-
cilentus vix ossibus hæret, ad quemvis im-
pulsum facile sternendus. - - Immortalitatis
pharmacum quotidie sumit Sacerdos teporis
amicus, quin tamen unquam istud ei prospicit:
quid hinc statuendum, nisi morbo insana-
bili eundem laborare? Videbis in magno hoc
ægroto eandem semper spiritualem naufream,
idem frigus, eandem lapsuum frequentiam;

G 2

iud

(a) *Psal. 34.*

imò augescentem indies facultatum stuporem : quid inde concludendum , nisi desperatam esse hominis salutem , cui remedia efficacissima non amplius proficiant ?

Deformitas & monstrosa combinatio quarta, funesti frigoris cum igne luculento. Salamandram animal uti aspectu horridum, ita & frigidissimum in mediis ignibus nunquam calefieri Scriptores perhibent. Divinæ charitatis incendiis quotidie propinquat tepidus Sacerdos, ad aras præsertim accedens , quin tamen vel modicūm calefiat : quantā noxii humoris copiā oportebit ipsum redundare ? Quid nisi mors certa expectetur , ubi calor vitalis hominem destituerit ? - - Diabolicum portentum ! Sanctissima quæque assiduo tractare , & nihil inde sanctitatis haurire divitiis undequaque affluere , & quovis mendicabulo magis egere : cum IESU Christo ferè constanter occupari , & nihil cum ipso habere commune: monstrosa prodigia hæc sunt, & reprobationis deformes notæ. - - Chymæra est Sacerdos tepidus : Sacerdos, non Sacerdos: homo, non homo: apertis oculis nihil videns : arbor autumnalis , infructuosa , bis mortua , quamvis pretiosè culta.

Quis nunc statum Sacerdotis tepidi pessimum non dicat ? Quid pejus malo incurabili ? Quid magis incurabile quam ægritudo, quæ non agnoscitur ? - - (a) Utinam frigidus es, aut calidus dictum est Sacerdoti nec frido, nec calido: sed quia tepidus es,

(a) *Apoc. 3.*

incipiam

incipiam te evomere ex ore meo. Frigidum
quasi mavult DEI Filius, quam tepidum : fa-
cilius tolerat hostem apertum , quam do-
mesticum proditorem. - . Conversi sunt pu-
blicani & peccatores : Pharisæorum nemo
est conversus. Latro in cruce ob flagitia
pendens sanctificatur : Judas Sacerdos inter
summae Sanctitatis consortia in diabolum
mutatur. - . Væ Sacerdoti tepido ! væ
magno hypocritæ ! væ JESU Christi adversa-
rio ! Jocaris & nugaris cum DEO , Sacerdos
miser ! hæc summa malitia, & hinc perditio
tua. Fateris , omnem honorem , & amo-
rem debere te Regi tuo , quem instar servi ac
mancipii obsequio lurido vilipendis: sed nón-
ne hoc est cum suprema Majestate petulan-
ter ludere ? Statūs tui celsitudinem &
obligationes gravissimas agnoscis , & stertis, ac
nugaris ! execrando te pore sacratissima quæ-
que commaculas , & parum curas , ac si nihil
admodum fecisses mali : quid tandem erit
summo DEO protervè illudere , potentiam
contemnere , ultrices pœnas negligere ,
venturum Judicem ridere, si tu illum obser-
vas, colis & honoras ?

Sacerdos sancte ac fervens , decore nimis !
O lilyum, palma, rosa, lucidissime sol, tem-
plum gloriae Domini speciosum ! de te Spiritus
sanctus gloriose dixit : (a) *Confessio & pulchri-
tudo in conspectu ejus ; Sanctitas & magnificentia
in sanctificatione ejus.* Ita est : candida vitæ
recti-

rectitudo, species & pulchritudo tua : haec eadem magnifica & minimè vulgaris sanctificatio tua. Cor rectum, quis te non suscipiat ! cor pravum & dolosum Sacerdotis hypocritæ, quis te non horreat ! Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis !

Actibus voluntatis ulterius insistitur per incensa desideria, & seriam voluntatem vita ferventis

DIES TERTIA.

Consideratio V.

Sacerdos fervens & tepidus temporalia curantes observantur.

PRior sanctam temporalium curam gerit, & ob fines sanctos : posterior malè, ob fines malos & inordinatos œconomiam regit. Pecuniarum contemptu primus adiscat, & facit mirabilia in vita sua : destruit alter, & vitam scelestam ducit.

Pundum I.

Sanctè, ob fines sanctos rem domesticam curat sacerdos fervens.

ORdine congruo & tempore opportuno rem domesticam curat fervens Sacerdos : horas diei meliores, videlicet matutinas, DEO, perfectioni propriæ, sacrisque studiis plerumque consecrat : pomridianæ

ridianæ sequiores temporalibus addicuntur. Ordinatè laborem hunc suscipit absque affectu inordinato : diligenter annotat, quæ sunt scripto mandanda. Accuratus cæteroquin, non sordidus maximè cavet, ne in adeò delicate cuiquam offendiculum ponat, suumque ministerium reddat contemptibile, aut infructuosum. Quare animo sublimi transitoria hæc spernens, eò usque tantum curam illorum admittit, quousque DEI honor & animarum salus id exigit. Singulari prudentia sibi opus esse intelligit, ne vel per defectum hic peccet, aut per excessum : ut neque prodigus sit, neque avarus, sed genuinum virtutis medium feliciter attingat. Hinc damnis & jaçturi, quas impedire non potuit, nunquam inordinate affligitur, uti nec bono rei domesticæ statu inordinate lætatur. Gratias DEO semper agens, plenè fudit, séque committit illius providentiæ gubernandum.

2. Fine optimo rem domesticam iterum curat fervens Sacerdos, ut egenos adjuvet, templi condecentem ornatum promoveat, DEI gloriæ & animarum bono ubique consulat, seu vivus, seu mortuus. Qua quidem ratione Apostolorum gloriosus imitator illud consequitur, ut in ipsum quoque cadat illud sapientis : (a) *Beatus vir, qui inventus est sine macula, & qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia theauris. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua.* Et hac quidem adeò sancta tem-

G 4

pora-

(a) Eccli. 31.

poralium cura omnem à DEO benedictionem
consequitur, atque in hominum quoque me-
moria æternum vivet: *In memoria æterna erit ju-
stus. Psal. III.*

Punctum II.

*Sacerdos tepidus rei domesticæ præ-
posterus curator.*

Curarum partem præcipuam Sacerdos
tepidus rei domesticæ impendit: pe-
cunias corradit: stabulis, horreis, bo-
bus, equis invigilat, cum sæcularium scandalis,
stomacho, & non minùs propriæ personæ,
quam Sacerdotalis ministerii contemptu. Ni-
hil revera contemptibilius esse potest avaro,
& temporalibus immerso Clerico; nam si (*a*)
avaro nihil scelerius juxta Sapientem, licet fue-
rit sæcularis, quid de Sacerdote hujus crimi-
nis reo dicendum erit? Judas Apostolus & Sa-
cerdos avarus ad ipsum deicidium, inter sce-
lera maximum, pecuniæ amore impulsus est,
in desperationis barathrum postea delapsus.
Judæ proditoris avari fratrem ac socium se
profitetur Sacerdos rei domesticæ curator
præposterus, cuius animum graphicè depingit
Chrysostomus his verbis: (*b*) „Si volueris
„animam hominis aurum amantis intueri,
„invenies eam ut vestimentum à decem
„millibus vermium corrosum, perforatum
„undique à sollicitudinibus, & à peccatis pu-
„trefactum, & æragine plenum.

(*a*) *Eccles. 10.* (*b*) *Hom. 27, in Matt.*

Sed non modò animam circumfert Sacerdos ex tepido avarus pessimè affectam, verùm & istud accedit grande malum, quòd fructum facere non possit. Quomodo enim fructum faciet, qui ob tenacitatem ac sorditatem ubique est exosus? Qui DEum faventem habebit, qui Mammonæ turpiter servit? Namque aurum tenus in hæc temporalia demersus, DEI, salutis propriæ, & alienæ prorsus obliviscitur: primæ evigilantis cogitationes mox œconomiam spectant: occurunt eadem sub sacro, sub horis, sub studio, hominémque totum occupant cum gravissimo Sacerdotalium obligatio-
nū detimento. Unde verò tantum malum? JE-
su Christi (*a*) *divitias investigabiles miser* Sacerdos ignorat; hinc rerum sacrarum nausea, tepor, pecuniæ amor, & avaritia, quæ est idolorum servitus. Ex infelici hoc fonte prorumpunt mille impatientiæ, extirrationes, blasphemiaræ, rixæ, contentiones, & non rarò patentes iniustiæ. Sed ubi sic Sacerdotalis sanctitas Sacerdoti ad salutem necessaria?

2. Fines, quos sibi præfigit, non minùs pesimi sunt. Corporis & comodorum cura, mensa opipara, rerum affluentia sollicitum perpetuò habet: pauperibus ægrè admodum & parcè subvenit: templum, cui præest, & unde vivit, negligit, vel aurum coacervâsle contentus, vel ad ingratos hæredes illud denique transmissurus, nullo suo, aut Ecclesiæ, vel animarum commodo. Hinc denique prodit animalis homo, qui non sapit ea, quæ (*a*) *Ephes. 3. 8.* G 5 sunt

sunt spiritūs: homo terrenus, sensualis, voluptuosus, mundanus, ad sacrosancta Mysteria tractanda ineptus, & Sacerdotalis ministerii sublimitate indignus. Quid ego nunc? Utrum ex duobus imitari præstat? Num placet sancta prioris Oeconomia, vel detestanda posterioris avaritia?

MEDITATIO V.

*Sacerdos fervens, dilectus IESU
Christi discipulus, minister fidelis, frater, amicus. . .
Sacerdos tepidus, Judas, fur, proditor, latro,
deicida.*

Pralud. 1. Effingimus animō speciem longē præstantissimam Sacerdotis fervidi & sancti, qui sub umbra IESU Christi crucifixi suaviter quiescens, hæc ab illo verba solatii plena meretur audire: (a) *Super ipsum efflorebit sanctificatio mea.* Tepidi quoque speciem longē teterrimam efformamus, quem catenis validissimis constrictum ludibundi dæmones tenent.

Pralud. 2. Evcharistice IESU, trahe me post te: in odorem curremus unguentorum tuorum. Sanctifica nos in veritate, fons Sanctitatis! de inimicis nostris libera nos DEUS noster!

(a) *Psal. 139.*

Pun-

Punctum I.

Sacerdotis pii sanctificatio quadplex.

Sanctificatur primò tanquam dilectus JESU Christi discipulus. Qui DEO ac Domino nostro fideliter adhæret, unus spiritus efficitur: quis verò magis adhæret, quām docilis discipulus? -- Amat Sacerdos fervens divinum Magistrum (Si non amat, fervens non est: anathema est) assequitur, aestimat, & custodit sermones ac præcepta illius: proximum diligit, pro quo & animam ponit, quæ præcipua JESU Christi discipulorum nota est. (a) In hoc cognoscunt omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Igitur discipulus est Sacerdos fervens: si discipulus; ergo sanctus. Quis enim ad sanctitatem unquam provehetur, si JESU Christi discipulus docilis, obediens, ex ore ipsius pendens, & divini Magistri gloriam unicè quærrens ad illam non pertingit? Pertingit omnino ad eximiæ sanctitatis fastigium singulare, qui talis est; nam proximè semper adstat omnis Sanctitatis fonti inexhausto: manet in vite palmes vividus, & fructum plurimum assert; fructum letissimæ Sanctitatis pretiosum. (b) Radicatus & superadicatus in ipso succum attrahit copiosum & vivificum salutis æternæ. - - Felices discipuli,

Sa-

(a) Joan. 13. 35. (b) Col. 2. 7.

Sacerdotes sancti! quām amœna, facilis, jucunda & sublimis vestra sanctitas in confortio Magistri divini, & ex nobilissima cum ipso consuetudine! quām probè intelligitis, quia (a) non habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus ipsius, sed lætitiam & gaudium. Pergite cum illo, & circa ipsum in sancta charitate occupari, siéque in vobis per Sanctitatem minime vulgarem prorsus admirabilis.

Sanctificatur secundò tanquam JEsu Christi minister fidelis. Quis dubitet, an sit in pretio apud Dominum servus fidelis & prudens? Quomodo fieri possit, ut DEI servus cordi habeat, quidquid ad honorem & obsequium Domini sui pertinet, neque tamen hic illius commodis invigilet? Dicat sanè audacter & cum fiducia Sacerdos fervens: (b) „Dilectus meus mihi „ & ego illi: ille mihi, quia benignus & misericors: ego illi, quia non ingratus: ille „ mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro „ gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori: ille saluti meæ, ego illius voluntati. -- Curæ tibi est, minister fidelis, Domini tui gloria: curat quoque fidelissimus Dominus, certò crede, salutem & sanctificationē tuam, quia pius & justus est. Quomodo negligere poterit servum fidelem Dominus tam bonus? Serve bone! arcana sua omnia, maxima, intima tibi credit Dominus tuus: animas sui sanguinis emptas infinitō pretiō tibi credit: seipsum, corpus & sanguinē suum, thesauros suos, domū suam,

gre-

(a) Sap. 8. (b) S. Bern. Serm. 68, in Cant.

gregem suum tibi credit; nam (a) constituit te Dominum domūs suā, & principem omnis possessionis suā: Tantos honores, tantos ex parte tua labores quid aliud sequi possit, nisi eximia sanctificatio? -- Non potest esse nisi sanctus, fidelis servus JESU Christi: est annexa huic nomini sanctitas. -- Cur sanctus gentium Doctor, nisi quia servus JESU Christi? Quo quidem titulo unicè gloriabatur. Cur sancti Sacerdotes, Pontifices, Confessores, quotquā fuerunt, adhuc sunt & erunt? servi erant JESU Christi, & fideles ministri. -- O nomen! O titulum! O dignitatem! servus es JESU Christi, Sacerdos bone! aliud jam non require: hæc summa votorum, hic omnis felicitas, hæc vera sanctitas, hic omne bonum! hic salus, hic protectio, hic omnis benedictio. -- Nōssēne desideras, quanti sis apud Dominum tuum? Ad ipsius pro te fusam orationem, & postulatum attende: (b) *Volo Pater, ut ubi ego sum, illic sit & Minister meus.* Sanctus sum: volo, ut & ipse sit sanctus: perfectus sum: sit & ille perfectus. In gloria sum: sit & ipse tecum in gloria. Volo, ut ubi ego sum, illic sit & Minister meus. Quæ major felicitas aut optari possit, aut cogitari?

Sanctificatur tertio velut amicus JESU Christi. Eximiē sanctificatur ut servus: quanto magis sanctificabitur ut amicus? -- Sancti sunt servi JESU Christi: quid amici? -- Amicus es; Sacerdos bone & fidelis, quia Domini tui mandata exequaris. (c) *Vos amici mei estis, si* (a) *Pſ. 104.* (b) *Ioan. 22.* (c) *Ioan. 15. 14.* fe-

feceritis, quæ ego præcipio vobis. Amicus es, ne dubita, postquam disertè asseveravit Dominus tuus : (a) *Jam non dicam vos servos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus.* Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiri à Patre meo, nota feci vobis. Amicorum autem bona sunt communia. -- Sed quis denique sanctus erit, si amicus JESU Christi sanctus non est? Amicus, qui amici maximi gloriam sincerè quærit; cuius omnis intentio in dilectum fertur; qui amici optimi gratiâ nullum recusat laborem, hic sanctus non sit? Omnino sanctus hic est, aut nullus datur sive in cœlo, sive in terra sanctus. -- Sacerdos fervens, amice JESU Christi, quid ultra desideres? Hic votorum terminus, hæc meta, & omnis beatitudinis gloriosum compendium. Hic omnis honor & gloria, divitiæque omnes, quarum felicissimus quisque capax esse possit. O fortis invidendum, cui assequendæ nullus labor, nulla industria, vigilantia nulla sufficiat, aut nimia videri debeat!

Sanctificatur quartò ut Frater JESU Christi. Antequam Sacerdotes consecrati essent beati discipuli, ministros suos & amicos Dominus vocat: verùm susceptò Sacerdotio fratres etiam nominat: (b) *Vade autem ad fratres meos, suscitatus à mortuis Magdalenæ mandat. Narrabo, inquit,* (c) *nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.* Quid fratre intimius? quod nomen dulcius? -- Conglutinata erat anima

(a) *ibid.* (b) *Joan. 20. 17.* (c) *Psal. 21.*

anima Jonathæ animæ David , quia ut fratres se invicem habebant. Sacerdos fervens & sancte , ecce hic frater tuus, qui & Pater, & Dominus , & Mater est! En primogenitum in multis fratribus ! quò nunc ascendere sublimius gloria felicitas tua possit? Beate Sacerdos! conglutinata est anima tua animæ JESU Christi , recordatione, intellectu, voluntate, imitatione: ergo tu frater illius es : cohædem te suum agnoscit : sanctitatem fraternè tecum partitur : (a) Confessio & pulchritudo in conspectu eius : sanctimonia & magniscentia in sanctificatione ejus , quam tibi impendit, Sacerdos electe! sanctitas minimè vulgaris est ; magnifica est , speciosa est , quam ut frater in conspectu ejus per ipsum , & cum ipso , & in ipso consequeris. Quomodo fratrem non ornabit , non magnificabit , non sanctificabit ? Tene pignus nobilissimū sanctificationis tuæ , arrham salutis , notam securam ac certam prædestinationis tuæ , dilectionem teneram & robustam fratris nimium amabilis : hanc nedimitte , & salva tibi sunt omnia. Verè nimis honorati sunt amici tui , DEUS ! nimis conformatus est Principatus eorum !

Punctum II.

*Sacerdotis tepidi reprobatio qua-
druplex.*

R Eprobatur primò ut Proditor. Judas tepidus
Sacerdos , JESU Christi discipulus , voca-
(a) Psal. 95. tus

tus Apostolus, inter nascentis Ecclesiæ principes cooptatus ; amore , beneficiis & gratiis præventus , ad familiarem cum Domino suo consuetudinem admissus, signorum & prodigiorum illius quotidianus testis , peramanter instructus, preciosè enutritus , malitiâ inauditâ sub amicitiæ ficta specie Dominum suum in mortem tradidit : (a) *Et confessim accedens ad JEsum dixit: ave Rabbi, & osculatus est eum.* Horrendi sceleris enormitatem quis capere sufficiat ? Discipulus tantopere dilectus contratalem Magistrum insurgere ut proditor ausit ? Judas Sacerdos, mortalium ingratissimus, iniustissimus , auri cœco amore captus, nulla Domini sui amabilitate , nullis beneficiis delinitus , hoste aperto crudelior , omni bellua ferocior , DEum ac Dominum suum prodit, vendit, & in mortem tradit ! poteritne humana mens crimen atrocius cogitando effingere ? Sanè non poterit. - . Judæ proditoris germanus frater est Sacerdos in tempore confirmatus. Ad regalis Sacerdotii dignitatem electus , gratiis ornatus, ad intimum Regis æterni ministerium vocatus , arcanorum omnium arbiter factus , inter amicos adlectus , in fratrum numero habitus , super familiam & thesauros Domini sui constitutus , non amat ; heu ! non amat Dominum nostrum JEsum Christum , quem perfidè prodit & persequitur. Prodit, cùm luridè celebrans sub pietatis nonnulla specie ori admovet Sacrosanctum Domini

cor.

(a) Matth. 26.

corpus, quod in animam quavis cloacâ pestilentiorem demittit. Prodit Dominum suum, quando mille titulis eidem obstrictus, nulla tamen ipsius emolumenta querit, honorem negligit, beneficia contemnit. Turpiter prodit Dominum suum, quando coram omni populo vota sua non reddit, & infandum temorem inter ipsa tremenda mysteria palam demonstrat. Prodit, cum animas perdit; socordiâ, negligentiâ, scandalis ad interitum promovet. Ut Judas *non amat Dominum nostrum Iesum Christum*: Quid mirum, si cum eodem scelerato socio anathema, & reprobus est? Quis enimvero reprobos inter censendus erit, si Judæ frater & socius, nullis Iesu Christi beneficiis, charitate ac pietate nulla emolliens inter sanctos & electos numerari potest? - (a) *Dilexit maledictionem Sacerdos tepidus, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Induit maledictionem sicut vestimentum: & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.*

Reprobatur secundò ut fur. Sacrilegi furti constanter se alligat Sacerdos tepidus, cum non modò honorem debitum DEO ac Domino suo furatur, sed quam maximè, dum Ecclesiæ beneficium, quod datur propter officium, turpiter abutitur. Furatur operarius, qui mercedem accipit, & tamen operari renuit. Inter fures audacter computemus Sacerdotem in tempore confirmatum, quia fructus percipit,

H quos

(a) *Psal. 108.*

quos justo labore suos non facit. Furatur Ecclesiæ, cuius bona injustè sibi arrogat : furatur piis fundatoribus, quorum factas Ecclesiæ oblationes dissipat : furatur gregi suo decimas, fructus, oblationes multo sudore partas, quem solicitudine pastorali per suam iniquitatem defraudat. At fures profectò regnum DEI non possidebunt. Quis fures perpetuò sacrilegos illuc admittendos credat? Quos autem in usus convertit Sacerdos tepidus Ecclesiæ bona, quæ ad ipsum non pertinent, quia non laborat? Otium, vanitas, cultura ventris, voluptas, commoda, consanguinei certatim illa rapiunt, & iniquè profundunt. Quis dubitet, Ecclesiam hac injustitia gravissime affligi, spiritum sanctum IESU Christi acerbè contristari, & populo Christiano damna maxima inferri? Et quomodo sanctus, imò qui salvus esse poterit Sacerdos hanc iniquitatis semitam perpetuò terens?

Reprobatur tertio ut latro. Væ animæ pauperi, quæ in tepidum Sacerdotem incidit ; nam incidit in latrones. Tepore, otio, desidia, & quod longè pessimum, scandalis animas jugulat : prò quales animas ! emptas pretiò magnò, spirituales, immortales, DEI capaces, Angelorum æmulas, ad Sanctorum omnium beatam societatem vocatas. - - Nostine autem, Sacerdos crudelis, quid agas, cùm vel unicam animam scandaloso tepore occidis ? (ut scandalata graviora taceam, quorum solum nomen sit horrori) cùm animam occidis, quam sal-

vâſſet

vasset pastoralis fervor, Deum majori gloria fraudas, quām eidēm Sancti omnes in vita sua procurare unquam possint; namque illorum boni actus, quantumvis innumerabiles, semper manebunt finiti: contrā verò actus laudis, amoris, adorationis unius animæ tuā culpā perditæ futuri fuissent per totam æternitatem infiniti. Nunc postquam vitiō tuō periit, magis Deum blasphemando æternūm in-honorabit maledictionibūs infinitis, quām in-honorare unquam possint in vita sua peccatores omnes simul sumpti per peccata numerō semper tantūm finita. Quid nunc erit, animam non unam; centenas fortè ac millenas turmatim perdidisse, neglexisse, ad infernum detrusisse? Fusus Abeli cruor adversus Cainum fratricidam clamabat de terra: toties fusus & perditus IESU Christi sanguis fors non clamabit? Animam pro anima, vitam pro vita debet, qui corpus occidit, & nihil forsan debebit, qui animas æternūm perdit? (a) *Væ homini, per quem scandalum venit:* sed multo magis *væ Sacerdoti;* iterum iterūmque *væ Sacerdoti,* per quem scandalum venit! -- Si patrem egisses, si vulnera curâsses, si vinum & oleum infudisses, si verbō & exemplō subvenisses, anima fratris tui æternūm viveret: nunc autem æternūm periit. Dabis animam pro anima: clamabit adversum te, & vindictam æternūm postulabit anima infelix, quam occidisti. -- Solum fratris corpus oc-

H 2 cidit

(a) Matth. 18.

cidit Cain, & furiis agitatus, terroribusque perplexus miserrimam deinceps vitam egit: DEum fugit & homines fugit, belluae quam homini similior, sed poenam fraticidio debitam non effugit. Si aures commodare vellet tepidus Sacerdos, quid aliud audiret, praeterquam voces lamentabiles animarum, quas negligentiâ, scandalô, tempore occidit, post ipsum indefinenter clamantium: *Tu nos occidisti! tu nos occidisti!* æternum occidisti! non corpora, sed animas occidisti! & ille nihilo minus ridet, tripudiat, jocatur! Quam timendum, ne tanto gravior immineat vindicta, quanto vivit securior! - - Igitur non tantum simplex homicida est Sacerdos tepidus, sed & fraticida, & sui ipsius, ac animæ propriæ crudelis latro; nam cum alios ad interitum promovet, ipsem et ante alios ad exitium festinat. - - O horror! O scelus! (a)
 „Defuisti partibus tuis, Sacerdos tepide!
 „pars tibi crit cum haereticis, pars cum Ecclesiæ tyrannis, cum latronibus & hominibus! (b) tot enim occidimus, quot admortem ire quotidie tepidi ac tacentes videmus.

Reprobatur quartò tanquam deicida, & christicida. Hi denique sunt fines ultimi non humanae malitiæ, sed pravitatis plusquam diabolicae, occidere Dominum JEsum Christum: hoc crimen inter omnia maximum, quod olim in sacratissima Redemptoris persona non mordebat

(a) *S. Bern. ad Synod.* (b) *S. Greg. hom. II. in Ezechiem.*

dò attentârunt, sed & perpetrârunt cum Sacerdote Juda vix non meri Sacerdotes; nam *Sacerdotes & Pontifices tradiderunt eum* Inter omnia igitur scelera longè gravissimum Sacerdotes admiserunt, christicidium. Et tu quoque occidis JESUM Christum non semel tantum, sed iteratò, sed frequenter, quoties nempe graviter peccas, aut scandalum præbes, ô Sacerdos mortalium infelicissime, qui te pes! ubicunque demum tepeas, sive in clero sæculari, sive in regulari. Vixit olim per gratiam in anima tua JESUS Christus: tu illum occidisti, quoties graviter deliquisti! de numero illorum es, quos amarô animô gentium Doctor commemorat: (a) *Rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium DEI, & ostentui habentes.* - Vivebat per gratiam JESUS Christus in hac, & hac, & illa innocentia animula, cui scandalo fuisti, quam neglexisti, quam non erudiisti, cui non invigilâsti: tu Dominum toties occidisti, quot animas crudeli tempore, ac funestis hujus appendicibus perdidisti. Formare debebas cum Apostolo in animabus tibi commissis, ac præsertim in anima tua JESUM Christum, ut ubique viveret: tu ubique illum occidisti: ubique divinam ipsius imaginem extinxisti: ubique diabolum substituisti, deicida sceleratissime, iniquissime christica! O terror! O tempore! O scelerum scelus! O criminum epitome & origo, heu! non satis cognita, & nunquam satis metuenda!

• H 3

O

(a) *Hebr. 6,6.*

O tepor Sacerdotum , reprobationis æternæ
infaustum stigma, infelix præludium!

Quantum delector, cum Sacerdotem san-
ctè ferventem intueor, JESU Christi charum
discipulum, ministrum fidelem, amicum &
fratrem! quantum horreo, cum Sacerdotem
tepidum contemplor, proditorem, furem,
latronem, christicidam ! quid ago, ut illum
assequar ; istum persequar ? Quid agendum,
ut prioris felicitatem obtineam : posterioris
miserias à me quam longissime removeam ?
Quid egi haec tenus : quid agam imposterum ?

Fiant in silentio nonnullæ reflexiones seriæ super
potentissimo arcendi teporis, & alendi fervoris reme-
dio, qui spiritus filialis est, & modus agendi cum
JESU Christo ut plenus reverentia, ita pariter plen-
nus fiducia & amore, quo rerum spiritualium nauja
procul arcetur, & beatus fervor novis quotidie in-
crementis augetur. Mantis oculus in ea tantisper
desigitur, qua lectio sacra hucusque dedit de filiali
& familiari cum DEO ac Domino nostro consuetu-
dine jugiter alenda.

CONSIDERATIO VI.

*Sacerdos fervens & tepidus quo-
tidiana peragentes observantur, & discrimi-
nantur.*

Ordinate in omnibus procedit Sacerdos
fervens : inordinate & confusè Sacer-
dos tepidus. Ductum gratiæ ac Spiritus
sancti observat prior : naturæ impetum & pra-
vos

vos animi motus sequitur posterior, discri-
mine tanto, quantum est cœli à terra; imò
quantum est inter sanctum & reprobum.

Punctum I.

Sacerdotis fervidi ordo diurnus.

Jucundè & sanctè vivit Sacerdos fervens,
quia ordinatè vivit: nullum tempus illi
longum: nihil tædii in pretiosis occupa-
tionibus, quas amat & æstimat 1. Propter
objectum grande, in quod tendunt. 2. Propter
finem nobilem, quem intendunt. 3. Propter
fructus eximios, merita & virtutes, quas il-
læ proferunt. - - Una dies apud ipsum alte-
ri quam simillima, pio & prudenti ordine di-
gesta, cui tamen scrupulosè adeò nunquam
adhæret, ut non præferatur semper charitas,
cum proximo succurrentum, aut piæ hospi-
talitati serviendum.

Primò igitur statum surgendi tempus reli-
giose observat Sacerdos JESU Christi servus,
nisi, ut jam dictum, vel charitas, vel necessi-
tas aliud quandoque jubeant. - - Excitatus,
aut evigilans mentem elevat, fervorem con-
cipit, in desideria sancta exardescit, seipsum
Verbo Incarnato in victimam tradit, amplam
ab ipso benedictionem petit, & virgineæ Ma-
tris filium se profitetur &c.

Secundo: temporis antemeridiani aureas ho-
ras consuetis precibus matutinis, sacræ medi-

tationi, penso Canonico, missæ sacrificio, sa-
cróque demum studio accurate tribuit. Ho-
ras pomeridianas partim curis œconomicis,
partim visitandis ægris, pauperibus, desola-
tis piè impendit: DEum Evcharisticum in
templo visitat, dictis inibi coram Sanctissimo
quandoque Vesperis & Completorio, aut Vir-
ginis Rosario. Tum recitat pridie Matuti-
num, cui lectionem sacram libri ascetici
subjungit: sequitur denuo studium sacrum
usque ad cœnam: lectio scripturæ aut Pa-
trum.

Tertiò: diem sanctè cœptam, & inter
sanctas occupationes consumptam, sanctè
etiam claudit examine vespertino, præpara-
tione meditationis in diem alterum, & pre-
cibus nocturnis piè recitatis. Toto autem
die illum filialem spiritum exercere satagit,
qui facilia & jucunda reddit omnia; qui fer-
vorem acuit, temorem eliminat, & quem
lectio nostra sacra hujus tridui tam solidè
commendat.

Attexere juvat memoriales versus actio-
num bene instituendarum ex P. Tylkowski
S. J. qui servire poterunt Sacerdoti ad san-
ctum fervorem aspiranti, aut eodem jam ar-
denti.

Manè surgendo.

Aspiro, grates refero, cor offero, posco.

Ante meditationem.

Vivo probè, sensus custodio, digero
puncta.

In

In meditatione.

Quis , quid , ubi , quibus auxiliis , cur ,
quomodo , quando ?

Credo h̄ic esse DEum , pr̄eludo , pr̄eparo
mentem.

Discurro , miror , sum gratus , me pudet acti:

Offero , propono , postulo quidquid amo.

Reflexio post meditationem.

Corpus , Mnemosyne , ratio , excutiturque
voluntas.

Fruituum adnotatio.

Decretum , praxim , motivūmque illustre no-
tabo.

Comeſtio.

Pr̄aproperè caveo , lautè , ardentè , stu-
diosè.

Intendo , precor , attendo , morūmque re-
cordor.

Tempero , suspiro , gratia danda DEO.

Colloquium.

Respicio finem , evito mala verba , modestè
Lætor , onus porto , dexteritásque placet.

Lectio spiritualis.

Certus erit liber , & constans erit hora le-
gendi.

Fac multūm : non multa legas : quæ legeris ,
abde.

Hujus lectionis fructus.

Arma noto , tenerásque preces , praxes fa-
ciendi :

Lumina , principia , & sanctorum exempla
virorum.

Visitatio templi.

Elio teneros actus , & quinque saluto
Vulnera : solamen , subsidiūmque peto.

Confessio.

Do grates , lumen posco , peccata recordor:
Deteriora gemo , sed meliora volo.

Examen conscientia.

Redde DEO grates , pete lumen , discute
mentem ,

Delicti veniam posce , recide malum.
Quæ loca , personas , officia & vitia?

Somnus.

Reddo DEO grates , somnum offero , posco ,
protestor.

Missas , vota , fidem , mancipium renovo.

Punctum II.

*Sacerdotis tepidi dies confusa &
inordinata.*

IN lecto hæret Sacerdos tepidus , quam-
diu lubet : mente vix unquam in Deum
ascendit , cùm evigilat : vana & inania
potius volvit , quamdiu pigritiæ indulget .-
Preces matutinæ aut luridæ , aut nullæ :
sacra meditatio nulla : Sacrum venatorium :
horæ Canonicæ obiter & cursim expeditæ ,
ne diu versari oporteat cum illo supremo
Domino , cuius notitiam & usum habere non
curat : tum visitatio stabuli , culinæ , horrei ,
ut impetus naturæ dicitat. Hæc temporis an-
tem-

temeridiani bellissima, si Superis placet, distributio.

2. Prandium tota mentis & sensuum applicatione sumptum: varia, ut genio magis lubet, modò hoc, modò illud, sine rationis & prudentiae delectu arrepta, & mox iterum rejecta: somnus, & à somno haustus pomeridianus, vel popina: denique cœna: citatis equis Vesperæ & Completorium deproperatum: lectio nulla, examen nullum, preces vespertinæ nescio quales, si tamen aliquæ. Hæc temporis pomeridiani miserrima distributio.

3. Somnus largus diem claudit, qui de DEO parum, de naturæ corruptione multum, de vitiis plurimum habet, quia nempe rerum spiritualium gravi nausea laborat tepidus sacerdos: non sapit ipsi pia cum Redemptore suo consuetudo, cuius tamen minister esse deberet, & qualem, exteriùs minimum, se profitetur: non sapiunt ea, quæ sunt spiritus, quia animalis homo est. Quare ut ægrum animum nonnihil recreet, à terra solatii aliquid constanter emendicat: sine gaudio nec esse vult, nec potest; cum itaque deficiat genuinum spirituale, quod querere negligit, ad gaudium animale, spuriū & sæculare convertitur: istud verò quia minimè satiat, miser homo in horas mutabilis nunc hoc, nunc illud inconsultè apprehendit, saltem vanâ multiplicitate ac varietate veri gaudii soliditatem ac simplicitatem

tem compensaturus. Unde nunquam deficit, sed augetur semper tedium ac nausea rerum spiritualium, quas nec rejicere omnino potest tanquam Sacerdos, vi vocacionis ad illas exercendas destinatus: nec tamen portare easdem valet tanquam onus sibi gravissimum. Tota igitur die repit humi ut vermis, qui cœlum petere deberet ut aquila: in pulvere, in fôrdibus toto die voluntatur, quem cum Angelis & ipso Angelorum Domino versari oporteret. Sic dies, sic menses & annos nunquam reddituros impiè prodigit Sacerdos, non Sacerdos; homo, non homo: monstrum hominis, naturæ portentum, generis humani flagellum & opprobrium

En! ut dies plenos numerat Sacerdos fervens; tepidus autem menses vacuos: ut beatus vivit prior & contentus; misere posterior, absque gustu, sine gaudio, inter mille spinas & turbulentâ tædia. Ordinatè dies suos ille transigit ut sanctus; hic inordinate ac confusè ut reprobus. Ex duobus quid ego malim? Integra & hujus & futuræ vitæ felicitas, aut infelicitas hanc electionem est secura.

ME.

MEDITATIO VI.

*Sacerdos fervens, angelus, quin
& Angelô Superior. - - Sacerdos tepidus, dæmon
incarnatus, & ipso diabolo pejor.* S. Aug.

Serm. 42. ad fratr. de eremo.

Pralud. 1. Sacerdos bonus Angelorum cœ-
tui gloriösè immixtus : Sacerdos te-
pidus diabolorum turmis circumseptus
effingitur.

Pralud. 2. Angelorum gaudium, ac dæ-
monum terror, JESU fili DEI vivi! da An-
gelos in tuo sancto servitio imitari, & ma-
lignorum spirituum obstinatam perfidiam de-
vitare.

Punctum I.

*Boni Sacerdotis quadruplex An-
gelica proprietas.*

I. **S**acerdotis boni Angelica puritas. Virtutis
Angelicæ summam necessitatem pro-
bè intelligens DEI servus omne stu-
dium in eam confert. Meminit sàpe, quid
Angelus ostendo aquæ limpidissimæ vasculo ad
divum Assisiatem quondam dixerit, talem
nimirum à Sacerdote exigi puritatem, qualis
ab elemento aquæ cristallinæ figuratur. Et
quid aliud requirat Angelica dignitas, An-
gelicæ functiones & occupationes, status

An-

Angelicus, imò & Angelicô major, nî
mores Angelicos, & puritatem Angelicâ,
si fieri possit, superiorem. Atque hinc om-
ne peccatum, illibatae præsertim castitati
adversum odit, horret, fugit, detestatur,
quantum potest: nulla pestis, nullus colu-
ber, nullus dæmon tam horridus illi vide-
tur, quâm vel unicum lethale peccatum.
Quare sensus accuratè custodit, cautè am-
bulat, sanctum DEI timorem pro scuto ha-
bet: odit & horret pseudo-casisticum pro-
cedendi modum, qui tepido solet esse fami-
liaris: *Istud non est peccatum grave; ergo liberi
facio.* Quin potius minima quævis peccata
solicetè vitat, dum persuasum omnino habet,
in tanta statûs sanctissimi celsitudine modi-
cum censeri non posse, quidquid deliberatè,
utùt venialiter tantum peccatur. - - Consu-
lit igitur Angelicæ puritati, quantum potest
& plusquam potest, per Sacramenti pœni-
tentiaæ lavacrum frequens, per contri-
tionis perfectæ usum familiarem, per Agni
immaculati esum ferventem, per opera pœ-
nalia, & mortificationis sanctæ exercitium.
Sed & instat piis obsecrationibus: miro af-
fectu quotidie dicit: (a) *Dignare Domine die
isto sine peccato nos custodire! à peccato simus sem-
per liberi, & ab omni perturbatione securi.* (b)
Libera me per hoc sacrosanctum corpus & sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis. Sic deni-
que Angelorum esca nullo non die saginatus,

in

(a) ad primam, (b) Canon missæ.

in sanguine Agni dealbatus, armaturā fortium instructus Angelicam puritatem eō gloriōsius æmulatur, quō majora illi pro eadem sunt ineunda certamina.

2. *Sacerdotis boni alacritas Angelica.* DEUS delectabiliter operatur, ait nonnemo Sapiens: sic & Angelici spiritus, qui in scriptura stellarum nomine veniunt, (a) luxerunt ei cum jucunditate: Sic Sancti omnes, quotquot vivunt super terram, (b) Domino serviant in latitia, & introeunt in conspectu ejus in exultatione. (c) Magnus Dominus & laudabilis nimis: magnus & amabilis nimis; jugum illius suave & onus leve; conversatio ipsius, quæ amaritudinem non habet, nec tedium, sed lætitiam & gaudium; occupationes nobilissimæ; fructus laborum pretiosi; præsens & futura felicitas; sanctissimi statūs immensa dignitas, hæc inquam & alia quamplurima sanctam lætitiam constanter ingerunt Sacerdoti pio ac ferventi, ut adeò prorsus non laboret, quin potius facilitate mira & jucunditate, quæ sanctæ vocationis sunt, continuo exequatur; qui enim amat, non labrat; & delectabiliter operatur, quisquis secundum rectam rationem; secundum gratiam & Spiritus sancti ductum operatur.

3. *Sacerdotis boni fervor Angelicus.* Qui facit Angelos suos spiritus & ministros suos ignem urentem, idem Dominus beatissimâ flammâ succedit sacerdotem suum, ita ut semper ardeat,

(a) Baruch 3. 35. (b) Ps. 99. (c) Sap. 8.

deat. Facit hic ardor cœlestis, ut in opere DEI exequendo sit velox instar Angeli, quibus dictum est: (a) *Ite Angeli veloces!* Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia. Facit pulcherrimus ardor, ut Sacerdos eodem succensus in labore sacro insatiabilis sit, & indefessus, sicut ignis, qui nunquam dicit, sufficit; sed nactus suum pabulum ardendo semper augetur. Ignem hunc sacratissimum IESUS Christus Dominus noster venit mittere in terram, quando assumptâ carnis nostræ substancialiâ, excepto peccato, per omnia fratribus assimilari voluit, factus amoris tenerimi & vehementer operatorii pabulum suavissimum, solidum, nunquam interiturum. Eodem igitur igne ardet Angelus; eodem Sacerdos: Ille quidem felicius, iste verò inter tot contraria gloriosius: uterque ardet, sanctus uterque, ambo beatissimi, quia verè diligunt Dominum nostrum IESUM Christum, quæ nota est sanctorum omnium, uti certissima, ita quoque sincerissima.

4. *Sacerdotis boni firmitas Angelica.* - - (b)
Confirmatum est cor ejus, non commovebitur: in Christo radicatus & superædificatus non timet ruinam. Angelicam porro firmitatem cum Apostolo non verba solum testantur, sed facta. (c) *Quis nos separabit à charitate Christi,* ait uterque? *An tribulatio? an angustia?* *an fames?* *an nuditas?* *an periculum?* *an persecutio?* *an gladius?* - - Sed in his superamus propter eum

(a) *Is. 18.* (b) *Pf. III,* (c) *Rom. 8. 35. 37. 38. 39.*

eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro. Enfirmitatem Angelicā superiorem, quia in agone ac certamine perpetuo semper victricem. - - Sanctæ charitatis habitum, ut scholæ vocant, dudum contraxit Sacerdos fervens: sacras virtutum assuetudines instar munimenti validissimi in animo suo ædificavit; (a) Non commovebitur, dones despiciat inimicos suos. - - Iesu Christo Regi potentissimo sincera charitate jungitur; quis illum dejicit? Generosus, imperterritus, magnanimus perfringit omnia, nec tamen frangitur: omnes inferni machinas contemnit securus, quia ardente Christi charitate munitus. - - Non illum commovebunt acerbæ tepidorum crises, irrisiones, contemptus: non extolleth prosperitas, non sternet adversitas; (b) fundatur enim supra firmam petram. - - Sta, Sacerdos Iancte & invicte! sta firmitate plusquam Angelica, qui dignitatem possides Angelicā majorem, ut sancti Ecclesiæ Doctores passim testantur. (c) Sta super custodiā tuam; neque enim portæ inferi adversus te unquam prævalebunt.

I

Pun-

(a) Psal. 111. (b) Matth. 7. (c) S. Ign. M.
S. Dionys. S. Bern. alii.

Punctum II.

Sacerdotis tepidi quadruplex diabolica & plusquam diabolica proprietas.

1. *Sacerdotis tepidi diabolica impuritas.* - - Merita fœculentia , mera sanies , fœtidum pus est Sacerdos tepidus caderis instar , quod vitâ destitutum & animâ orbatum in tabem diffuit , vermiisque horridos greges protrudit. - - Animæ vita Christus est : Christum ab anima tolle : tetterimum cadaver est , vitam non habet. Deest principium omnis motus boni : adest principium omnis motus mali ; quid inde expectandum , nisi putredo , & impuritas diabolica ! Humana impuritas finem denique habet : diabolica impuritas finem non habet. Constanter peccat diabolus ; constanter quoque peccat Sacerdos tepidus , quia uterque hostis Iesu Christi. - - Apertè hunc odit diabolus : sub amicitiæ fallacis proditoria specie odit Filium DEI Sacerdos tepidus , diabolo etiam pejor , quia hoste aperto deterior. - - Heu ! latet sub veste Sacerdotali & sancta impuritas vanissimarum cogitationum , immunditia terrenorum affectuum , spurcitas operum mortuorum , & quid non abjectissimarum sordium , nauseamque ac horroremcientis purulentiarum ? O si inspicere ad

ad momentum liceret animam Sacerdotis in tempore confirmati ! quantas ibi turpidines , qualem impuritatis sentinam , & omnis generis foecum cloacam inexhaustam videremus ! vivum ille se inaniter credit ac dicit ; sed plane mortuus est , quia Christus in ipso non vivit. Non vivit in ejus memoria : non in cœco intellectu : non in dura & frigida voluntate ; neque enim cogitat, ut decet , neque novit , neque amat summum bonum JESUM Christum , cui luridissimè servit , imò non servit , sed impuritate diabolica vita perpetua corruptione putrescentis , Maje statem tantam graviter offendit. Aut forte gravis iniquitas , & diabolica impuritas non sit , Sacerdotem (prô ! quantam rem dicimus , cum Sacerdotem nominamus !) Sacerdotem , inquam , ad ministeria sanctissima continuò tractanda divinitus vocatum , menses & annos , omnemque vitam in gravi torpore , rerum divinarum nausea & fastidio semper transigere ?

2. *Sacerdotis tepidi diabolica induratio.* Diabolus non convertetur unquam : neque Sacerdos in tempore confirmatus ad se redibit. Quis , amabò , Sacerdotum conversus est , quos à JESU Christo perversus animus alienaverat ? Petro sacra pentecostes die prædicante quinque millia de plebe conversa sunt : è sacerdotibus nemo ad se rediit.

Fures, latrones, impudici, publicani, mētrices, adulteræ à via iniquitatis, JESU Christo invitante, recesserunt: Judas Apostolus & Sacerdos tepidus, quantumvis amicissimè compellatus & invitatus non recessit. Quot, quæso, hæresiarchas Sacerdotes luridos conversos numeramus? nullum ego quidem sciam: omnes indurati vitiō suō perierunt. - - Posset utique converti Sacerdos tepidus à viis suis pessimis, si efficaciter vellet; si vim sibi faceret; si vectes ferreos, & portas æreas teporis inveterati confringeret. Sed quid boni volet, quid faciet, quid confringet homo languidus, iners, cœcus, qui neque agnoscit statum infelicem, cui se addixit? induratum erat cor Pharaonis: diabolice pariter induratum est cor Sacerdotis ex consuetudine tepidi; quis illum convertet? Non JESU Christi bonitas, quam ut alter Judas negligit: non gratiarum Sacerdotio annexarum ingens numerus, quibus protervè abutitur: non infernus, quem aliis quidem oggerit, sed ipse pro se non apprehendit: non motus interni gratiæ, ad quos minimè attendit: non exempla piorum, quos traducit & cavillatur &c. Iste vel ille magnus peccator ferventi concione, gravi adversitate, morbo, immissa paupertate convertetur: Sacerdos tepidus non convertetur; nam induratum est cor ejus: omnem salutis viam ipse sibi præscindit:

dit: omnem remediis efficacissimis virtutem ipsem et torpore suo adimit, ut sanari non possit, quia sanari non cupid, & sanari non cupid, quia sanum se errore crasso existimat. O quam metuendus est status Sacerdotis in tempore suo indurati!

3. *Sacerdotis tepidi malitia plusquam diabolica.*
Plus honoratus est Sacerdos, quam diabolus, quia (a) *ipsis Angelis & Archangelis*, teste doctore mellifluo, *præhabitus*: igitur gravius peccat ipso diabolo Sacerdos, tempore pessimo inquinatus. Non tantis gratiis, tantâ misericordiâ præventus est diabolus, uti Sacerdos: ergo malitia, & ingratitudo istius major. - - Non potest in majoris momenti materia Sacerdos peccare, quin admittat (b) *peccatum grande nimis*. Peccatum grande nimis ob statûs Sacerdotalis eminentiam & sanctitatem: grande nimis ob gravissimas eidem annexas obligationes, quæ sine palmari Numinis injuria, & sine notabili animarum detimento solvi non possunt: peccatum grande nimis ob scientiæ amplitudinem, ob gratiarum numerum & magnitudinem, ob remediorum potentem efficaciam, ob miram divini obsequii suavitatem & jucunditatem, quæ omnia conculcat, negligit & contemnit Sacerdos tepidus, malitiâ plusquam diabolicâ. Neque enim diabolo concessa unquam est tanta patientia, tanta

I 3 lon-

(a) *S. Bern. ad pastores.* (b) *I. Reg. 2.*

longanimitas: non redemptus, non ablutus, non justificatus est; verum primo scelere perpetrato æternum damnatus. - - Sed & magis nocet reipublicæ Christianæ tepidus Sacerdos, quam ipse diabolus. Non nisi volentes præcipitat dæmon: contrâ etiam nolentes, innocentes, bonas animulas detruit ad infernum Sacerdos tepidus, cum easdem Sacerdotali curâ destituit, scandalis mactat, tempore jugulat, quas tamen cœlum ultrò volentes accepisset, si Sacerdos muneri suo non defuisisset. Canis ligatus est dæmon: latrare potest, mordere non potest, nisi volentem. Canis rabidus à catena solutus est Sacerdos malus: obvium quemque, etiam fugientem, etiam quandoque renitentem perverso vitæ exemplō mordet. Quid multis? æterna veritas testimonium præbet irrefragabile: (a) *Mali Sacerdotes*, inquit, *diabolô pejores sunt*, & ideo præ diabolis omnibus profundius submergentur in infernum. (b) „Capita gentium sumus, ait „S. Augustinus, cœcorum & ignorantium „duces, claudorum baculus, terrarum „principes, regum viatores, Angelis su- „periores; Sed dæmonibus pejores, dum „hæc negligenter prospicimus. Notemus hanc voculam, *negligenter*: non dicit S. Doctor, tunc solum Sacerdotem diabolo esse pejorem, quando sclera committit; sed

(a) l. 4. revel. S. Brig. c. 15. (b) Serm. 4^a
ad frat. de Eremo.

sed tunc etiam , quando negligenter grande suum munus exequitur. O statum Sacerdotis tepidi sanè horrendum ! non modò certat cum diabolo de malitia , sed & cenuuplicatis petulantiaz ac proterviæ anfractibus eundem superat.

4. *Sacerdotis tepidi diabolica impænitentia.* In pessimo statu semper versatur Sacerdos tepidus. 1. Quia charitatem non habet. 2. Quia formidandā Angelicis humeris dignitatem joculariter & nugatoriè gerit. 3. Quia DEI majestatem & bonitatem perpetuò contemnit. 4. Quia opus Dei non uno tantum die , sed per integrum vitam facit negligenter. (a) *Maledictus autem est , qui facit opus DEI negligenter.* 5. Quia vocationi sanctissimæ in rebus etiam gravibus vix unquam respondet. 6. Quia tempore suo & Ecclesiæ , & populo Christiano , & gregi commisso , tam positivè quam negativè constanter & graviter nocet &c. Quid verò hinc sequi aliud possit , nisi diabolica & finalis impænitentia ? - - Si Sacerdos per totam vitam tepidus sanctè mori potest , nemo sanè damnabitur. - - Sæcularis homo dum cadit , faciliùs resurgit : non cadit è loco tam sublimi ; non adeò conteritur. Verum Sacerdos ex eminenti sacrae dignitatis fastigio , quasi è præcelsa turri decidens ita quassatur , ita conteritur , ut sani , nisi per grande prodigium vix possit..

Finalis igitur impoenitentia expectat Sacerdotem in tempore obfirmatum : impoenitentia non publica quidem aut notoria , sed tacita & occulta , magisque vel ideo periculosa , quia negligitur ; unde fit , ut pulsis demum crassæ ignorantiae tenebris primus æternitatis radius funeßissimam reprobationem Sacerdoti tepido sit ostensurus.

Claudat meditationem D. Chrysostomus , cuius hæc terribilis ac timenda sententia est , Sacerdotum plerosque reprobatumiri. Sic enim loquitur S. Doctor : (a) Non temerè dico , sed ut sentio : „ Non arbitror „ inter Sacerdotes multos esse , qui salvi „ fiant , sed multò plures , qui pereant ; „ (b) Res enim hæc excelsum animum requirit. Et alibi : miror , si potest aliquis salvari „ Ecclesiæ rectorum . Adstipulatur vir Apostolicus Joannes Avila apud Gedeonem , Foster *de utilit. Catech.* p. 4. „ Tot , tantæ „ que sunt Parochorum , Curatorum , & „ Sacerdotum omnium obligationes , ut „ qui vel tertiam partem reipsa impleret , „ sanctus ab hominibus æstimaretur , cum „ tamen eo solo contentus non sit evasurus gehennam . Verè grandis dignitas Sacerdotum , exclamat D. Hieronymus ; sed & grandis ruina , si peccant !

Sed quem numerum ego denique sum aucturus , an verè poenitentium , an im-

(a) *Hom. 3. in acta Apost.* (b) *Idem hom. 34. in Ep. ad Hebr.*

pœnitentium ? Si nunc ferventibus acce-
do , sanctè moriar : si tepidis , infelicem
vitam mors funesta excipiet. Quidquid
sit de numero vel paucitate Sacerdotum
salvandorum , peribo certò , si tepidus :
salvabor si piè fervens extitero. Si vel
unus tantùm salvetur , ego unus ille ero ,
ubi JESU Christi charitas me commenda-
verit : contrà si vel unus damnetur è tan-
to Sacerdotum numero , infausta sors me
unum feriet , si abominando tepercit vitam
maculavero. Quid ergo consilii ? An ma-
lim fortassis post vitam infamem , ignobi-
lem , miseram , mihi , mundoque noxiā ,
turpem , criminibus oppletam , ac diaboli-
cam reprobari , quām post vitam glorio-
sam , veris divitiis affluentem , speciosam ,
jucundam , & Angelicam cum Sanctis in
gloria numerari ? -- Odi , horreo , dete-
ctor infandum tepercit : amo , æstimo ,
amplector sanctum fervorem. Seria volun-
tate amplector pariter vix non unicum ,
utì suavissimum , ita præstantissimum fer-
voris conservandi ac tepercis eliminandi
remedium , beatam videlicet cum tua Ma-
jestate familiaritatem , plenam reverentiā ,
plenam fiducia & amore. Christe JESU
redemptor amantissime , DEUS maxime ,
optime , benignissime ! scio , magnitudinis
tuæ non est finis : sed & bonitatis tuæ non
est numerus. Infinitè magnum reverebor
ut filius : infinitè bonum diligam ut filius.

Hæc vita fervens , vita sancta , vita solidè jucunda , plenèque beata est , tecum libenter versari , te amare , te observare , circa te tuumque honorem constanter occupari. Da vitæ hujus admirabilis beatitudinem sectari nunc toto corde , tuamque demum gloriam æternum contemplari , qui cum Patre & Spiritu sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum , Amen.

Coronis tridui.

ITe nunc Sacerdotes sancti & electi ! redite ad dilectum gregem vestrum nobilissimo igne succensi ! ite , Pastores vigilantissimi , fideles ministri , fratres , amici Regis regum potentissimi IESU Christi ! ite ; ad summos immortalis gloriæ apices contendite , quos regalis Sacerdotii sublimitas , & status vestri sanctitas offert concendendos. Ite , negotiatores boni ac seduli , veras divitias utraque manu , indefesso studio congregate ; lucete , ardete , accendite omnia ! pugiles generosi ! vitiorum monstra jugulate , stygii leonis ferociam comprimitate , palmas & lauros colligite. Benefica sidera ! prodeste animabus tantò Redemptis pretiò : juvate laborantem Ecclesiam : mundum in maligno positum zelo ac fervore Sacerdotali sanctificare pro viribus studete. Florete , germinate : virtutum omnium flores & fructus uberrimos

ad

ad communis Domini gloriam, ad gregis
Dominici exemplum, ad Ecclesiæ sanctæ
ornamentum, ad reipublicæ Christianæ
subsidiū, ad vestram ipsorum eximiam
sanctificationem producīte. Observate,
amate Dominum, magistrum, regem, pon-
tificem, fratrem, amicum vestrum, &
benefactorem maximum Dominum nostrum
JESUM Christum. Mementote semper ex-
dictis in dissertatione præliminari, quan-
tus & qualis; quam sit amabilis, & ad-
mirabilis: hunc, inquam, Dominum,
cum quo & circa quem fere constanter
occupamini, amate, observe: agite
cum ipso ut domestici, ut familiares, ut
filii. Pergite in bene cœptis. Sic vitam
vivetis Angelicam, jucundam, beatam:
sic ab infelicissimo tempore quam remotissimi
pulcherrime ferrebitis, laborantes
non laborabitis, fructum centuplum &
permanentem afferetis; ab auditione ma-
la & reprobatione æterna non timebitis:
(a) *Gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum
nemo tollerat eis.*

Evcharistice JESU! salvos fac servos tuos,
DEUS meus, sperantes in te, & benedic hereditati tuæ. Et rege eos, & extolle illos
usque in æternum. Æterna fac cum sanctis
tuis in gloria numerari!

ORA.

(a) *Ioan. 16.*

ORATIO

Post meditationes singulas.

Quæsumus, omnipotens DEus, ut nos Sacerdotes famulos tuos, quos in benedictionibus dulcedinis tuæ misericorditer prævenisti, in tuo semper facias amore ferventes. Per Dominum nostrum IESUM Christum Filium tuum, qui tecum &c.

Lectio sacra hujus tridui nostri, Sacerdotes sancti & electi, ex opere P. Benedicti Rogacci S. J. desumitur, cui titulus: Unum necessarium: liber iste præclarus est, tomulos quinque complectens. Tomulus præsertim tertius tractatum habet nunquam satis commendandum, in praxi utilissimum & jucundissimum, huic triduo insigniter accommodatum. Sanctum fervorem stabilire, omnemque in obsequio divino tempore quam longissime arcere intendimus: remedium igitur efficax querendum nobis est, quo per DEI gratiam feli-citer adjuti scopum hunc nostrum asse-quamur. Certissimum autem est, fervorem Sacerdotalem & sanctum sine gustu rerum spiritualium consistere, ac durare nullo modo posse. Quisquis Sacerdotum alacriter, cum gaudio & gusto suas functio-nes peragit, hic fervens & sanctus est; nam bene peraget omnia: quisquis vero cum

cum nausea , cum tædio , sine gustu & sapore illa exequitur , quæ status & vocatio sancta postulat , malè , imò pessimè singula exequetur , quia studium & applicatio deerit , quam acuit spirituale gaudium , & opprimit animi tædium. Cùm autem gustum & saporem exigimus rerum spiritualium , quæ Sacerdotem potissimum occupant , gustum & saporem sensibilem minimè intelligimus : prodesse quidem hic potest , si bene illo utamur , sed necessarius non est ; imò noxius erit , si huic soli quis inhæreat : nam eo præsente fervebit , absente torpebit : in horas singulas mutabitur Sacerdos , quia mutabilis semper est gustus ille sensibilis , in potestate hominis minimè positus. Gustum itaque rationabilem sectemur oportet , fundatum in fide , in recta ratione , in solidis principiis veræ sapientiæ , quæ affatim nobis suppetunt , & gustum saporēmque genuinum non minus excitare , quam conservare semper possunt , modò illis uti serio velimus. Quare in nostra potestate semper est gustus ille ac sapor , qui sanctum fervorem inseparabiliter comitatur. Nausea verò illa tædiūmque culpabile , vincibile ac voluntarium , quod omnium tepidorum infelix morbus est , quam longissimè à nobis repellendum ; nam & istud in arbitrio nostro plenè est positum.

Qua-

Qualenam igitur medium illud est tantum
tens , tam jucundum , quod saporem &
gustum , unaque fervorem sanctum indu-
bitatò nobis procurabit ; omnem nauseam
arcebit , tædiūmque ac teporem elimina-
bit ? Dicam verbò , quod nobis prolixè
Auctor suprà laudatus in lectione sacra hoc
triduo exponet . Spiritus filialis , & sancta
cum IESU Christo DEO ac Domino nostro
familiaritatis exercitium certò præstabit ,
quæ paulò priùs sunt dicta . Quid enim
vero Sacerdotem , qui cum hoc Domino
suo , & circa ipsum fere constanter occu-
patur , magis deceat quam filialis animus ,
non servilis ; quam sancte familiaris agen-
di ratio ? Quid autem hoc remedio suavius &
potentius ? Quid jucundius esse possit , quam
reverenter , amicè , cum fiducia alloqui
sæpissimè Dominum illum , cuius majestas
& bonitas finem non habet ? Amicorum
omnium amicissimus & sincerissimus est :
(a) Tædium & amaritudinem non habet con-
versatio ipsius , sed latitiam & gaudium . Quid
ad nauseam tollendam efficacius : ad gustum
& fervorem acuendum potentius ? Tanti
ergo remedii virtutem , suavitatem ac fa-
cilitatem attente hoc triduo audiamus , si
tamen aliquo vitæ sanctæ , felicis & jucun-
dæ desideriò tenemur ; si nauseam ac te-
porem infelicissimum , qui vitam replet ama-
ritudine , propellere à nobis optamus .

TRA-

(a) Sap. 8.